

pro oleagino legatur. quare Plinius in reliquis notis Theophrastū ad vnguē secutus, foliū ei oliuæ reddidit. Myrrha in permultis Arabiæ locis gignitur. Cōuehitur & ex syluis laudata, petuntq; eā etiā à Troglodytis Sabæi transitu maris. Satiua multū syluestri præfertur. gaudet rastris & ablaqueationibus. melior radice nuda, refrigeratāq; Traditur nasci in subargillofis & sabulosis sitiētibusq;, raro interfluentibus fontiū aquis. Cupit, vt alij volūt, imbribus perlui, & amnibus exhilarari, quæ tamen cū antedictis pugnāt. Non defuere, qui ex thuris arbore vtrūq; nasci mentirentur. Inciditur bis ijsdem cū thure temporibus, sed à radice vsq; ad ramos qui valēt. Sudat spōte priusquā incidantur, stacten hoc est stillatitiā dictā, cui nulla præfertur. Post hāc satiua, & in syluestri quoq; melior est æstiuā. Veteris odorator est lachryma. Prima partitio Theophrasto est, vt aliā stacten hoc est stillatitiā, aliam placten hoc est fictitiā appellet. Arabes sarmentis eius ignes fouēt, quorū fumo satis noxio, nisi odore cremati styracis occurrāt, plerunq; insanabiles morbos cōtrahūt. Regi Gebanitarū quartas partes myrrhæ pēdunt, Deo non dāt, quoniā & apud alios nascatur. Cæterū coemptā passim ac vulgo in folles conferunt, ipsiq; vnguētarij digerūt, haud difficulter odoris atq; pinguitudinis argumēto. Genera aliter tradidit Plinius q̄ Dioscorides, hoc ordine. prima stacte, secunda satiua, tertia syluestris. Syluestriū genera cōplura. Primus inter eas locus Troglodyticæ, quæ & pinguedine & aspectu aridior est, fordidāq; & barbarā, acrior cæteris. Proximus Erythrææ quā minæā vocāt alij, eāmq; intelligi volunt Arabicā, cuius iterū species quatuor habētur, stactea, Atramitica, Gebanitica & Ausaritis. tertius Dianitidi. quartus collatitiæ. quintus Sébracenæ à ciuitate regni Sabæorū. hęc hilaritate insignis, nec aspectu sordida, sed viribus infirmior. Sextus Dufaritidi. Est & candida, vno tantū loco, quę in Messalū oppidū confertur. Diuersa sit à prædictis quam odorariā cognomināt, non cōstat, quoniā pleriq; cū Plinio nō seam sed sextā legunt. in plenū probatio minutis glebis, nec rotundis, in cōcretu albicātis succi, & tabescentis. Secūda bonitas intus varia, pessima quæ intus nigra, peior si etiā foris. adulteratur lentisci glebis & gūmi, item cucumeris succo amaritudinis causa, sicut ponderis spuma argēti. Reliqua deprehendūtur vitia sapore, gūmi dente lentescens. Fallacissima est Indica myrrha, quæ ibidem quadam è spina colligitur multo deterior. atq; hoc solū peius adfert India. Nascitur & in Gedrosia, vt inquit Strabo. argillosa verò terra, crustosāq; prouenit in Arabia. Dioscorides myrrhā Arabicæ arboris lachrymā esse tradit, quę Aegyptiæ spinæ persimilis sit. laxatur ictu cortex, & profilit in tegetes suscipientes lachryma, alia caudici cohæres addensatur. Genera plura. pediafimos pinguis, cuius appressu elicitur stacte. Gabirea pinguiissima læto & restibili solo nascēs, plurimam stacten sudat. Troglodytica omnibus antefertur. nomen traxit à loco vnde cōuehitur, colore subuiridis, mordax, pellucida. metitur & alia tenuior. Secūda post Troglodyticā facilè mollescens bdellij modo, odore putidiuscula, in apricis & illustratis sole locis erūpēs. Alia vocatur caucalis exoletorū more arefcens, colore atro, retorrída. Omniū deterrima quæ ergasime cognominatur, squarosa, macilenta, acri gustu, gūmi viribus & aspectu referēs. Dānatur quę minēa dicitur. Cæterū myrrha defingitur in pastillos, pinguis in pingues, arēs in aridos atq; inertes. in totū magis viribus pollet, quæ nullū admiserit oleū. Adulteratur gūmi permisto, quod prius myrrhæ diluto permaduērit. deligitur recēs, aspero quodā obdu-

cta situ, minimè ponderosa, omni ex parte concolor, & quæ confracta candidas vnguium modo læuésq; venas intus ostendat, minutis glebis, gustu amaro, acri, odorato, calido. nãq; ponderosa colore piceo superuacua iudicatur. Porro myrrha cognita vulgo, nedum officinis: sed stacte doctis etiam compluribus ignota, quod mirũ, cum longè res q̄ myrrha pretiosior. Quid tamè de stacte sentiã pau-

cis aperiã. Lucretius odoramento & vnguento eam coniunxit, inquit,

„ Aut amaricini blandum stactæq; liquorem.

Meminit & Columella in suo carmine, cum cecinit,

„ Et melior stacte ponatur Achaica myrrha.

Dioscoridi pinguitudo est recētis myrrhæ. tũditur hæc cum pauxillo aquæ, dein prelo vel machinis aqua foras exprimitur. odoratissima hæc & impedio pretiosa, per séq; facit vnguentũ, stacten vocatũ. Cõmẽdatissima quæ impromiscua, & oleo libera sit. Stacte Græcis nominatur, quoniã è stillatitia myrrha fiat, colore pallido, suauitate mira. Hodie stacten officinẽ & medicorũ vulgus *styracẽ liquidũ* appellant: cũ sit tusæ myrrhæ recētis exigua aqua cõpersæ præpingue serũ, organo expressum, aut, si mauis, pinguisimus myrrhæ flos, aut tortiuũ ius machinis extractũ. q̄ si certior fieri voles, cõsule factionis Mauritanæ aut Arabicæ familiæ authores, qui, citãtes Dioscoridis testimoniũ, in styracẽ liquido tradũt, pinguitudinẽ myrrhæ recentis tritæ cũ aqua pauxilla & torculari expressæ, boni odoris. Vides vt styracẽ pro stacte v surparũt, vel nominis vicinitate falsi, vel q̄ duo storicis (sic loquũtur) statuãt genera, liquidi & sicci, qui recētioribus calamita dicitur: cũ Græci quicũq; de styracẽ quicquã prodiderũt, vnus duntaxat meminerũt, de quo infra dicitur. Sed de hoc hæctenus. Cõstabat & myrrhavnguẽtũ regibus Persicis dicatũ, quod illi capite ceu diadematis vice gestabãt, sed addebatur myrrhalabizos appellata, quã multo pretiosiorẽ myrrha Dinon scribit. Appellatione vnguenti Aegyptij stacten venire, author est Athenæus. Myrrha cõcalfacit, caput sopore grauat, agglutinãt, adstringit, reficcat, vuluã emollit & præclusam laxat. menses trahit: partus velociter pellit, cum absinthio & lupinorum cremore, aut succo rutẽ naturalibus admota. Contra veterẽ tussim magnitudine fabæ deuoratur: eodem modo ad orthopnoẽã, ad laterũ dolores, ad alui profluuia, ad dysenterias. horrores febrĩũ discutit, duabus horis ante accessionẽ cũ pipere & aqua pota. subiecta linguæ suctu gutturis scabritiã emendat, obtusam vocẽ expedit. Cõmanducata graues halitus oris, & ingrãtũ animæ foetore abolet: & cum alumine liquido peruncta virus alarũ extinguit. cum vino & oleo colluit os, quibus gingiuæ labant, sic mobiles firmat dentes & stabilit. Vulneribus capitis insperla glutini vicẽ exhibet. Fractas aures iungit, & nuda cõuestit ossa, adiecto interiore limacis callo. Cũ meconio, castorio, glauciõq; linitur, quorũ auribus effluit pus, & quibus aliqua sentiatur collectio. Ad varos cũ casia & melle perũgitur: impetigines ex aceto deterit. Defluẽtes capillos cũ ladano, vino, myrteõq; oleo firmat. Diurnas è capite destillationes cohibet illitis pinna naribus. eadẽ vlcera oculorũ explet, albugines delet, caligines discutit, scabras exterit genas. Bœotia verò myrrha è quadã arbore inibi prorũpit radicis vulnere, melior quo myrrhẽ suauitãtati vicinior est. Vim habet calfaciũdi, emolliendi, discutiẽdi, suffimẽtis natã. Stacte verò cõmẽdatissima, quæ libera sit oleo, impromiscuãq; quæ minima portione plurimũ calfaciat, simileq; vim tũ myrrhẽ, tũ vnguẽtorũ ex calfactorijs

obteneat. Staete dicitur, quonia è stillatitia dūtaxat myrrha fiat, colore pallido, suauitate mira, sed amaritudine præcipua: quapropter cū balsami succus defuerit, Galenus, & item Paulus, pro succidaneo suffectitiam dari staeten præcipiunt. Nec me præterit Græcos etiam interdum staeten pro lixiuio, quod cineris elotio est, v surpassē, sed vel addunt vel subaudiunt *κοίταρ*.

¶ Myrice.

Cap. XCIX.

MYrice hoc est tamarice, arbor est & ipsa inter vulgatas. nascitur proxime paludes residēsq; aquas ac quiescētes, fructū floris similitudine profert cōcretu muscosum. mitior in Aegypto & Syria gignitur, cetera similis syluestri, fructu lignoso, vt galla, inæqualiter aspero gustu. Myricen, tamaricen vocāt Corinthi: & in Achaia quę circa est, brya dicitur. Et cū plus iusto adoleuit, vtiq; promala poetis. Humilis frutex est amerinę ramis, folio angusto, carnosō & fere pinnato. Achaia duo obseruauit fastigia, syluestre omnino sterilem, fructiferā alterā, quę in Aegypto procerissimas equat arbores, ramis ex herbaceo fuluōque variegatis, lignoso fructu, galla maiore, in quo semen gustu asperum, eiusdem effectus cuius galla. Myricen Italia, quam alij vt ait Plinius, maricem vocant, Achaia autē bryan syluestre, insignem in ea, q̄ satiuā tantum ferat gallę simile fructū. In Syria & in Aegypto copiosa hæc est: cuius infelicia ligna appellantur, quonia nihil præter muscosum florē ferat, nec feratur vnquā. Syluestre illam Gallia *bryariā* vocat, humilē pumilūmq; fruticē, flore concretu muscoso. Folium sunt qui sabinę herbę nō nihil simile pronūcient, & profecto mihi ab eo videntur minimū dissidere. perpetua coma frōdet. Sues dum dulcedinē pabuli cōsectātur, (est enim infatiabile pecus) supramodū æstate splenis incremento laborant. Cui succurritur, si fabricētur canales alueiue tamaricis è trūco, replentūrq; aqua, & deinde sitiētibus admoueātur. quippe ligni succus medicabilis: epotus intestinū cōpescit tumorē. Lienosis suibus mederi tradit Democritus physicus aquā quę potanda obijcietur, in qua candētes myricę carbones fuerint restincti: consulitq; hominibus vitio lienis laborantibus, vinum ebibere carbonibus myriceis igni flagratibus exustū. Myricen, quam tamaricē vocat Lenæus, simile scopis amerinis, sanari dicit ea carcinomata in vino decocta, tritāque melle illita. Ego hæc esse tamaricē arbitror. Ad lienem præcipua est, si succus eius expressus in vino bibatur. Huius cū vno viscerū liene tam mirabilis dissidētia, quā antipathiā Græci vocāt, vt adfirmēt, si alueis canalibusve, ex ea factis bibāt sues, sine liene inueniri, & ideo homini splenetico cibū potūmq; dant in vasis ex ea fabricatis. Grauis est author in medicina, virgā ex eadem fractā, vt neq; terrā neq; ferrū attingeret, sedare vētris dolores asseuerauit impositam, ita vt tunica cinctūq; corpori apprimeretur. Vulgus infelicem eam arborē vocat. Corinthus & quę circa est regio bryoniam appellat: eiusq; duo genera facit, syluestrem plane sterilem, alteram mitiorē. Hæc fert in Aegypto Syriāq; lignosum fructū, galla maiorem, asperū gustu, quo medici vtuntur vice gallę in compositionibus, quas antheras vocant. Lignū autem, flos, & folia, & cortex in eosdem vsus adhibentur, quanquam remissiora. Datur sanguinē reijciētibus cortex tritus, & cōtra profluvia fœminarū, cœliacis quoq;. Item tufus impositusque collectiones omnes inhibet. Folijs exprimitur succus. Ad hæc eadem in vino decoquūtur: ipsa vero decocta cū melle gangrēnis illinuntur. Ad dentiū dolorem auriūmq; decoctum illorū salutare. epinyctidas sanat.

Radix ad eadem, similiter folia. hæc amplius ad ea quæ serpūt, imponuntur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduersus phalangia & araneos bibitur: cū altissimum vero pingui furunculis imponitur. efficac contra serpentiū ictus, præterquã aspidum. necnō morbo regio, phthiriasi, lendibúsq; decoctum infusum prodest. abundantiam mulierum sistit, cinis arboris ad omnia eadem prodest. Si bouis castrati vrinæ misceatur, vel in potu, vel in cibo, venerem finiri narrant. carbo vrina ea restinctus in vmbra conditur: idem cum libeat accendere resoluitur. Magi id ex spadonis vrina fieri tradiderunt. Fructu, vt est Dioscorides author, medicantur vice gallæ in compositionibus stomaticis, item medicaminibus oculorum. Datur sanguinem expuentibus potui, cœliacis, & contra profluvia fœminarum, neque non regium morbum, aduersúsque phalangium. Idem tusus impositúsque collectiones omnes inhibet. Cortex ad eosdem vsus adiungitur. Foliorum decoctum ad lienem præcipuum est, vt quod in vino sumptum viscus illud consumat. Dentium dolores eo salutariter colluuntur. mulierum abundantiam insidentium sistit. phthiriasi lendibúsq; infunditur. crematæ arboris cinis immodicos vuluarum fluores supprimit. Quidam in remedium homini lienoso potum dant vasis è caudice eius fabricatis. Illud obiter monendos puto Columellæ studiosos, vt locum septimo eius libro Dioscoridis autoritate corrigât, quo legitur, canales tamaricis & rusco fabricentur, ita, tamaricis è trunco. Quis enim existimauerit alueos suibus idoneos ex tantillo frutice ex cauari? quis tentauit? cuius crassitudo nunquam minimū digitum æquauerit. Potorios tamen calices ex myrice trunco confingi magna lienosorum salubritate testatur. Nec illud non docendum, qui vitro soluendo firmandóq; dant operam, ex hac arbore potissimum igni suo escam ministrant. Huius radicem officinæ *casiam* vocare solent. Et, quæ palam imperitia medicorum est, pro odorata casia vtuntur. Infelicio- rem hac gignit arborē Græcia, quam & ostryn & ostrýā vocat, solitariam circa saxa aquosa, similem fraxino cortice, & ramis, folijs pyri, paulo tamen longioribus, crassioribúsq; ac rugosis incisuris, quæ per totam discurrunt. Semine hordeo simili, & colore, & materia dura atque firma: qua in domum illata, difficiles partus fieri produnt, mortésque miseras.

¶ Myrtus.

Cap. C.

MYrtus græce myrrhine & myrsine, Gallis *murta* dicitur: oleę similis, sed ramis folijsq; minoribus, angusta fronde, perpetua, seriatim disposita, flore supra fructum insidente, baccis nigris, piperis gustu, succo vinoso, stirpe inæquali & ramosa. præest Venus arbori, quippe quæ litorebus maxime proueniat, Venus autem è mari dicatur orta: hinc & arbor sacra coniugio. Græci arborem Mineruæ vt oleam dicant, commenti fabulam, quod Myrsine Atheniensis puella fuerit, pulchritudine ac robore insignis, amica Palladi, quam iuuenis ab ea cursu & palæstra superatus interemerit, inuidia ductus, quod elegantia cæterisq; naturæ dotibus reliquæ iuuetuti præstaret. Arbuscula in demortuæ vicē succedens, semper, vt olea, Mineruæ chara remāsit, refricās aspectu suo desiderium. vita ei vt quibusdam animalibus ambigua, hoc est, terra & aqua. Degenerat in fruticem nisi crebro purgetur. Maximā purgationē querere Androtion est author. lætius enim germinat à qua plura fuerint adēpta, lar-

giorémque fructum ministrabit. frigidos odit tractus, argumēto quòd omnino nulla in Olympo, nulla in Ponto profilierit, etsi summo studio, adhibitáq; omni solertia, etiam religionis causa, cōseuerint. cacumine & lateribus germinat, & ex anniculis fructificat furculis. perpetua coma viret. diuturnissimá validissimámq; myrtum adfirmát. Circeum promontoriú quod vocant excelsum, refert Theophrastus myrto scaterere, quod Circen incoluisse tradunt indigenæ, & in Elpenoris inibi tumulo coronario genere nasci, in quo primùm visa traditur, Græcúmque ei nomē remanet, quo peregrinā esse apparet. Odor præcipuus myrtis Aegypti, vbi cætera omnia prorsus hebescunt. Seritur ligno, ramis & semine, sed terra iugiter accumulanda, dum germinátes ramuli roborétur. Græci locis editioribus feri præcipiunt, q̄ vicina odoris suauitate repleat. Auulsus stolo aut termes à cacumine decerptus, proceritate subrectus pangitur: qui solo stercore satiato, quousque ramulos emittat, exaggerari debet. Sūt qui cubitales palos scrobibus olearum more in obliquū mergunt. Alij ex baccis seminaria faciūt, quas leuiter tundas & restibus butomo contextis inuolutas fossulis obruunt. Longe melius fructificare pollicentur, si plantulæ in caput infigantur. gaudet arbor iugi repurgatu: ita in excelsam proceritatem adolescit, ad textile vasculorum opus vtilis. Humana vel ouilla vrina rigari desiderat: siquidē ea, vt produnt, mire lætatur. Baccas sine internis nucleolis creabit, crebro aquæ tepētis imbre rigata. Inseritur cãdida nigræ, item punicæ, mespilo, malo. lætiore coma virebit, vberiorémque fructum pariet, si comes rosa coniungatur. Item cum myrto consortium iniens rosa, fructuosior emicabit. Baccas myrti in areolas ab Idibus Februarijs vel etiam Calendis differere præceperunt. Democritus hoc modo feri docet: grandissimis baccarum tufis leuiter ne grana frangantur, eaq; intrita, reste circumligari, atque ita feri, pariētem fore densitatis ex quo virgulæ differantur. Plantas myrti à trimatu tempestiuum est transferre. Ramo seritur & palis, laxato prius meatu vtriusq; triū pedum longitudine, crassitudine digitali, cortice diligenter seruato, trunco exacuto. Myrtus & taleis seritur, incremēto velox, sed cito occidit. Catonis fastigia sunt candidi, nigri, coniuguli. Alia distinctio est satiuæ & syluestris, & in vtraq; latifoliæ. De syluestri in oxymyr sine agitur. Satiuarum genera topiarij faciunt: tarentinā folio minuto, nostratē patulo, exoticā densissimo, senis foliorū versibus. hæc non est in vsu. Ramosa vtraq; alia. Cōiugalem existimāt nunc nostratē. odoratissima est in Aegypto. Dioscorides duobus vrbane fastigijs est contentus, candidæ & nigræ. Duo item Columellæ sunt genera myrti, quorum alterum est nigrum, alterū album. Succi natura præcipuam habet admirationem in myrto, quando ex vna omnium olei viniq; genera fiunt. Alius vsus baccæ fuit apud antiquos antequam piper reperiretur, libi obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonij nomine inde tracto, quod myrtatū vocabatur. plerunq; ad intinctus additæ. Ouātes myrtea corona vsos quandoque tradunt, vt triumphantes lauru. Celebris est Hippolyti & Phædræ amoribus Træzenia, cuius folia, vt inquit Pausanias, prope Veneris delubrum satæ perforata nascebantur, iniuriam videlicet ferentia sæuientis vnguibus & calamistris fœminæ. Controuersum fuit apud Græcos quodnā coronæ genus esset Anacreonti naucratites appellata. & pluribus visum est non aliud esse q̄ ex myrto, rosis comitantibus. Alij è sampsucho fertū, quæ in Aegypto copiosissima est. Alij papyrū coronariā, quā Aegyptij

byblon stephanotrida cognominant, interpretatur. Lesbij, vt inquit Athenæus,
 myrti ramulis implexis floribus se coronât, quos hypothymidas vocant. Plutar-
 chus pectorales coronas quibus ceruices redimibât, hypothymidas appellat. Me-
 morabili augurio habitæ sunt Romæ, sacræ duæ myrti, quarû altera patritia ap-
 pellabatur, altera plebeia. Patritia multis præualuit flaccescēte plebeia, exuperas
 ac læta quâdiu senatus floruit. Illa ingens, plebeia torrida ac squalida: quæ postq̃
 eualuit, languida patrum authoritas facta est, & in sterilitatem paulatim emarcuit
 maiestas. Virgæ myrti gestatæ viatori profunt in longo itinere pediti. Quin &
 annuli virgarij expertes ferri, vnguium tumori medentur. Folia per se siccantur
 in farinam ad vlcerum remedia in humano corpore, leniter mordaci puluere, ac
 refrigerandis sudoribus. Cato docuit vinum fieri è nigra, siccata vsq; in ariditatē
 in vmbra, atque ita mulso indita. si non siccetur baccæ, oleum gigni. Postea com-
 pertum & ex alba vinum fieri album, duobus sextarijs myrti tusæ in vini tribus
 heminis maceratæ expressæque. Myrtæ sunt ipsæ myrti bacculæ, quæ myrtides
 Græcis nominantur. Hæ diutissime virentes, vt Græci produnt, seruantur vase
 non picato, diligenter operculato conditæ. Alij cum ramulis reponere malunt.
 Myrtiten vinum Græci hoc modo fieri præcipiunt, ramis teneris cum suis folijs
 in albo musto decoctis, tufis, libram in tribus musti cõgijs deferuere faciūt, donec
 duo supersint. Vinū myrtiten ad tormina & alui proluuiē & ad imbecillum sto-
 machū Latini sic faciunt: nigri generis baccæ maturę leguntur, & sine seminibus
 in sole siccata, fictili fidelia sicco loco reponuntur, mustū è maturis vuis expres-
 sum in seria adijcitur, & statim primo die antequam id ferueat: & repositarum
 baccarum diligenter contritarū totidem libræ appenduntur, quot amphoræ con-
 diri debent. Massulæ huius musti conspersæ & farina baccarum coactæ per late-
 ra serię in mustum demittūtur, ne altera offa super alterā perueniat: deinde cum
 bis deferbuerit, contritarum rursus baccarum par pondus, vt supra dictum est,
 permiscetur, sic vt instar iuris crassi in eandem fidelia confusum, rutabulo ligneo
 peragitetur. Scopulis aridæ myrti seria suffriatur, purgatūmq; vinum post se-
 ptimum diem, in amphoras bene picatas & bene olidas diffunditur. Vinum aliud
 myrtiten sic temperant, quam optimū mel inferuescere faciunt, & toties despu-
 māt, quoad nihil habeat spurcitia: cum deinde mel refrixerit, baccas albi generis
 myrti quam maturissimas legunt, & perfriant ita, ne interiora semina cõterātur,
 fiscello ligneo inclusas exprimunt: succūmq; earū, qui sit sextariorum sex, cum
 mellis decocti sextario immiscent, & in lagunculam diffusum oblinunt. Sed hoc
 mense Decēbri fieri debet, quo tēpore ferè matura sunt myrti semina. baccæ se-
 reno die legantur, quo nec pluit, nec rorulentæ decerpantur. Multi nigram vel
 albam myrti baccam duabus horis in vmbra expositā paululūmq; resiccatam
 dstringunt sic, vt quātum fieri poterit, semina interiora permaneant integra, tū
 per lineum fiscum quod pertriuerāt exprimunt, & per colum iunceum, succum
 liquatum lagunculis bene picatis condunt, nulla re permista. sed hic liquor non
 tam est durabilis: sed quandiu sine noxa manet, ad valetudinem vtilior est. Myr-
 tus fatiua, minus vtilis est medicinæ quàm nigra. Semen eius medetur sangui-
 nem excreantibus. odorem oris commendat vel pridie commanducatum. da-
 tur dysentericis denarij pondere in vino, vlcera difficilia in extremitatibus cor-
 poris sanat cum vino sufferuefactum. Imponitur lippitudini cū polenta, & car-

diacis in mamma sinistra, & contra scorpionis ictus in mero. Aduersus fungos
 in vino bibitur & ad vesicæ vitia, capitis dolores, ægilopas antequam suppurent:
 item tumoribus, exemptisque nucleis in vino veteri tritum eruptionibus pitui-
 tæ. Succus feminis aluum sistit, vrinas cit. Ad eruptiones pustularum cum cera-
 5 to illinitur, & contra phalangia. capillum denigrat. lenius succo est vinum quod
 nunquam inebriat. Inueteratum sistit aluum, & stomachum. tormina sanat, fa-
 stidium abigit. folia fungis aduersantur trita ex vino. Cum cera vero articula-
 ribus morbis, & collectionibus. eadem cum vino decocta, dysentericis, & hydro-
 picis potui dantur. Purgant lentigines, pterygia, epinyctidas, condylomata, te-
 10 tra vlcera, ambusta cum cerato. Siccantur in farina quæ aspergitur vlceribus.
 Hæc utilis est cœliacis, procidentia vuluarum, sedis vitijs, vlceribus mananti-
 bus, igni sacro fotu, capitis fluentibus furfuribus, ambustis. eadem arentium fa-
 rina sudores cohibet inspersa, vel in febrī. Exprimitur & folijs succus mollissi-
 mis in pila tuis, adfuso paulatim vino austero, aliàs aqua cælesti. Atque etiã ex-
 15 presso vtuntur ad oris & sedis vlcera. Item vuluæ & ventri: ad capillorum ni-
 gritiam, alarum perfusiones, purgationes lentiginum, & vbi constringendum
 aliquid est. Auribus purulentis idem succus instillatur. Folia comburuntur in an-
 tidota. Item cauliculi cum flore decerpti, in nouo fictili cremati in furno, dein
 triti, & ambustis foliorum cinis medetur. Inguen ne intumescat vlcere, satis
 20 est furculum tantum myrti secum habere, nec ferro nec terra contactum. Myr-
 tus nigra, vt Dioscorides scriptum reliquit, vtior medicina quàm candida,
 & inter nigras montana: semen tamen imbecillius creat, cuius & arboris natu-
 ra astringat. Datur viride & aridum sanguinem excreantibus, & vesicæ rosio-
 nibus. succo viridium eadem proprietas. Stomacho utilis est, vrinam cit, bi-
 25 bitur contra phalangium in vino, & scorpionis ictus. feminis decocto capillus
 inficitur, ius decocti in vino, vlcera in extremitatibus nata sanat: inflammatio-
 nibus oculorum cum polenta imponitur. Aegilopas illitu lenit, præsumentes vi-
 num crapulam sentire negantur, quod feruifaculo semine exprimitur. quod non
 ita paratum sit, acore vitatur. prodest ad omnia quæ semen. abundantiam fœ-
 30 minarum in sessione prohibet, vuluam procidentem firmat. Vtile sedis vitijs, fur-
 furibus, vlceribus quæ manant, pustularum eruptionibus, capillis defluentibus.
 Additur quoque in medicamenta quæ liparas vocant. Decoquantur ad insiden-
 dum folia, quo articulos dissolutos, collisos, & ossa fracta fouent. Vitiliginis pur-
 gat, purulentis auribus infunditur, capillos denigrat. pares effectus & succo. Tri-
 35 ta folia, & ex aqua illita, profunt vlceribus quæ in humore sunt, omnibusque
 membris fluxione laborantibus, cœliacisque. cum olei verò omphacini exi-
 guo aut rosacei atque vini, vlceribus quæ serpunt, igni sacro, testium tumo-
 ribus, epinyctidi, condylomatis. Arentium foliorum farina vtilliter inspergi-
 tur paronychis, pterygiisque. Virus alarum feminumque perfusiones emen-
 40 dat. Cardiacis imposta sudores cohibet. Folia vel cruda vel cremata cum ce-
 rato, ambustis, paronychis, pterygiisque medentur. Exprimitur folijs succus
 affuso paulatim vino vetere, aliàs aqua cælesti. Probat qui tortius recensque
 sit. arefactum situs occupat, siccatusque plane cariem sentit, & ignauus segnis
 que vires perdit. Myrtidanum appellatur Dioscoridi virgultum myrto agna-
 45 scens, nodosum, inæquale, verrucosum, concolor, quod perinde quasi manus

myrti caudicem amplectitur. Astringit vehementius myrto: tunditur in pila, & vino austero accepto cogitur in pastillos, siccatúmque in vmbra, reconditur, efficacius folio semine additum ceratis & pellis, in fessioibus, cataplasmatibus, vbi astringédum aliquid est. Plinius, quod syluestris myrti baccis factum est vinum, Myrtidanú vocat: hoc manus tingit, vuluæ prodest appositú fotu & illitu, multo efficacius cortice, folio, semine. Hoc syluestris myrtis baccis conditur, libra in tribus musti cõgijs deferuefacta, donec duo supersint. Galenus virgultú & sobolé myrti, quæ exiens à radice fruticat, Myrtidanum appellauit. Hippocrates Martidanum, hunc fruticem videtur nominasse, Myrtidanú vero ipsum piper.

☉ Myxa.

Cap. C I.



Myxam nos, myxa Græci & myxaria vocât, arborem damascenæ pruno popularem, è cuius pomis in Aegypto bina fiant. Manditur & nucleus non insuauis. arbor in Syria & Aegypto gignebatur, nunc est familiaris Italiæ, incepta nasci Plinij memoria, etiam insita sorbo. nunc & multis quoq; locis prouenit. In Calabria spina est syluestris, quæ myxas optime recipit. Paulus myxon arboris fructum esse meminit, minorè pruno, & consimilis facultatis. Quibus frequēs est arboris conspectus, sic deliniare solent. Arbor supra terram attollitur, caudice procero, qui cortice candido vestiatur. fundit ramos viridi colore nitentes, folia in rotundum circinata, poma auellanæ nucis magnitudine, racematim collecta, per maturitatem cærulea, callo corporis dulci, intus albo, mucoso lentore, vnde Græcis nomen vsurpatum putauerim, qui myxon mucum nominare consueuerunt: osse oleagino, cuius & nucleus insuauis non est. Fructus legitur maturus & insolatur, vt passus & in rugas contractus recondatur. Viscum fit in Syria ex arboris huius acinis, quos ab Augusti honore, vt conijcio, sebastos appellauerunt. hæc myxa fuisse veteribus interpretor: quæ per diminutionem quoq; myxaria dicuntur. Arbusculi huius ligno cortex albus, ramis virens, folio rotundo, amplo, fructus in racemo dulcis, candido lentore plenus, cum interiori nucleo quasi oliuæ ficcatur. hic in medicina vëtre soluit, destillationesq; comprimit, rosiones vesicę lenit, intestinorū animalia pellit. Damascenum inde viscum paratur, cõmendatissimum aucupijs, præterquam aquatiliū volucrū. inde nomen arbori. Myxa hodie barbaro nomine omnibus officinis q̄ græco vel latino notiora, qui iam ferè maxima ex parte sua vocabula à Mauritanis aut ieiunis Arabibus emedicare solent, *sebestena* & vulgus medicorū & seplasiæ nominât: id quod súsq; deq; ferendum adhuc esset, si sebasti nomen nõ interpolassent. Facit eius rei fidem, si libeat recentiorum græcorū cõpositiones ad eas Arabum cõferre, inuenies vbiq; zizipha & myxa vel myxaria pro iuiubis & sebastis vsurpata. Galenus & Dioscorides myxarum nusquã commemorerunt, etsi nihil græcorum posteriorū misturis occurrit frequētius, Actuarius dico, Pseli Antiocheni, & Aëtij, qui volunt mediã in calore & frigore sedem tenere. Ventre febricitantibus ciere, tussi quã æstus aut squalor excitauit, opitulari. Pectoris asperitates lenire, calidis destillationibus auxiliari, vt quas sua humoris lentitia coerceat. Vrinæ difficultatibus prodesse, quæ flauæ bilis vellicatu creantur, animalia ventris pellere, ea dulcedine pruni adlicente, sequaciq; vermium coherentia. ad quos vsus omnes nostræ ætatis medici commendant.

Morus.

Cap. CII.

Morus arbor in tam vulgari nobilitate nihil operosius demonstranda est, quæ etsi germine sit serotino, nihilo secius quàm cæteræ folia deperdit. Flos ei vitiginei modo lanugineus, fructui toto, nec postremis tantum insidet, in medijs inculcatus, neq; singulas parteis ambit, fallens interdum propter lanuginem, vt concerni nequeat. Fructu cartilagineo, statim ab ortu candido, cum pubescit rubro, vbi maturuit atro. Sic & succus eius euariat, primùm acerbus & aquosus, mox lenior & lentè rubens, denique vinosus, sanguineo colore manus inficiens. Moris itaque succus in carne vinosus, trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger. In nouissimis florent, inter prima maturescunt. Tingūt manus succo matura, eluunt acerba. Pilum corijs folia eius vrina madefacta detrahunt. Minimum in hac arbore ingenia profecerūt, nec nominibus, nec insitionibus, nec alio modo quàm pomi magnitudine, mora differabant, Hostiensia & Tusculana Romæ. Nascuntur & in rubis multum differente callo, nam in Gallia feritur alba ferens poma, eiusdem naturæ cuius & nigra. Seritur vt est Berytius auctor, autumno ramulis ficulnorum modo terræ defixis. Vegetior prouenit ambiente solo sæpius effosso, siquidem altis radicum tenuis fossionibus lætatur. Nascūtur ex semine poma, si granula delecta deponantur, sed rigari continuò desiderant. Melius claua & palo feritur. In feritur castaneæ, fago: item populo quæ sit alba, si vel inoculetur vel inferatur, candida nascentur mora. Seruantur diutius vitreo vase suo vino demersa & diligenter operta. Cæterum quæ semine gignuntur degenerāt. Taleis & cacuminibus sesquipedalibus vtraq; parte læuigatis, melius proueniunt, si fimo oblinantur. Locum in què paulum demerserunt, cinere terris admisto tegunt, sed non amplius quatuor digitis operiunt. Amant calida loca, fabulosa, & plerunq; maritima. In topho vel argilla vix comprehendunt. Humor assiduus moris prodesse non creditur. Fossione gaudet & stercore. Putria in ijs & arida post triennium sunt putanda. Plantam si robustam transferes mēse Octobri, si teneram Februario & Martio. Scrobes desiderant altiores: interualla maiora, ne altera vmbri prematur alterius. Feracior rem proceriorēmq; fieri arborem tradiderunt, si perforato hinc inde trunco singuli cunei terebinthi vel lentisci adigantur. Circa Octobris Calendas morus ablaqueanda est, & radicibus vini veteris recentissimæ fæces inspargendæ. In feritur in fico sub cortice. Insita vlmo comprehendit, sed parit magnæ infelicitatis argumenta. Mnestor apud Theophrastum calidam esse morum prodidit. Materia utilis operibus quæ flexu constant, eiq; hac in re primatus datur. Aeternam arbitratur ac validam, atq; vetustate loti modo nigrescere, ideò furculas ex ea circosq; faciunt, itē nauibus tornacula, similiter & auriculas liburnicis, & testudines atq; firmamēta. Amica est morus & vitis. ea nouissimè germinat, & cum primis folia dimittit, serotinóq; germinatu floret, maturatq; celeriter, nouissima vrbanarum pullulans, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima arborū. Carne & succo mora constant, qui vinosus eis est, & colore sanguineus. Arbor plana diligit, nec temerè in montibus conspicitur: tardissimè senescit, fructibus minimè laborans. est lentitia moro viuax. Pro cute cortex, in moro medicis succum quærentibus, ferè hora diei secunda lapide incisus manat, altius fractus ficcior

videtur. Morus talea tantum veteribus ferebatur, quoniam in vltimo eam inferi religio fulgurum prohibebat. Mora germinatione priusquam in folia exeant, sinistra manu decerpi iubent. Futura poma ricinos, siue vt quidam legunt, cytinos Græci vocant, terram si non attigere sanguinem sistunt alligati, quacunq; parte fluat: succus siccato pomo expressus multum obsoniorū saporī cōfert, & mirum gratiam commēdat. Fit & è pomo arboris panchrestos stomatice, eadē arteriace appellata: neq; est aliud oris, faucium, vna, gutturis, stomachi iucundius remedium. Hoc & vulnera ad cicatricē perducebant. Athenæus est author sycamina tantū ab Alexandrinis mora nominari. Aeschilus de Hectore loquēs, vir, inquit, ille moris erat maturior. Sophocles morū inter initia candicare, postea puniceo colore rutilare meminit. Phēnias Eresius Aristotelis discipulus, syluestris mori fructum vt dulcissimū & iucundissimū, cum ematuruit, commendat, morum appellans: verba eius subdidimus. Morum quod in rubo pendet seminarios quosdam partus resiccata pilula, veluti contextos ostēdit, fragiles & boni succi. Virgilij carmine celebrantur, hærentia mora rubetis. Diphilus Siphnius ita nobis scriptū reliquit. Sycamina quæ & mora dicuntur, satis bonū creant succum, sed paucū ministrant alimentū. Stomacho conferunt, & aluo facilè excernuntur: priuatim cruda ventris tineas excutiunt. An nonnihil vtilitatis adferat cum ruens humor articulos impleuit, compertum nō habeo. Verum Hegesander Pythermi historia fretus posteritatis memoriæ mandauit, sua ætate morum arborē viginti annos non tulisse fructū, quo tēpore articularia lues tanta grassabatur, vt non viros modo, sed & mulieres quoq; & spadones indiscriminatim corripuisset, sed sæuienti cælo potius quàm moro ferendum fuit acceptū. Mori poma aluum resoluunt, facilēq; corrumpuntur: inimica stomacho. refrigerant: sitim faciunt: si nō superueniat alius cibus intumescūt. immatura sistunt ventrē. Siccata tunduntur in cibos cōmendātia obsoniorum saporē, quemadmodū rhus. In medicina verò cæliacis dantur. Fit è pomo nobile medicamentū stomatice aut arteriace, q̄ ori & gutturi conferat appellatum, hoc modo, Sextarij tres succi è pomo leui vapore ad crassitudinem mellis rediguntur, post additur omphacij aridi pondo duodecim, aut myrrhæ vndecim, croci totidem: sed hæc simul mista vel trita miscētur decocto: neq; est aliud oris, arteriæ, vna, stomachi iucundius remediū. Decoctus in æreo vase succus, & postmodū insolatus, astringētior reddi solet, valens aduersus nomas, fluxiones, neq; non tonsillarū inflammationes, adiecto mellis exiguo. Sed efficacior vis adsciscitur, alumine scissili, galla, myrrha & croco adiectis. Alii addunt ijs semē tamaricis, irin, & pollinem thuris. Alij præduratum vas le torrebant, permiscentes spatha ter die. hæc stomatice vulnera ad cicatricem perducebat. alia ratio. Succum siccato exprimebant pomo, multum saporī obsoniorum conferente. Pollet aduersus vlcera quæ pascēdo serpunt, pectoris pituitas, & vbiunque opus est astringi viscera. dentes quoq; colluebant eo. Folia mori trita aut arida decocta contra serpentium ictus imponuntur, ipsaque teruntur ad ambusta ex oleo linenda. Tingunt capillum cum vitis & fici nigræ folijs simul coctis in aqua cælesti. eadem in vrina madefacta pilum corijs detrahunt. Succus ex ijs aduersus araneos bibitur cyatho. Scorpionibus aduersatur è radice corticis succus ex vino aut posca potus. Corticis & foliorum decocto dentes in dolore colluuntur. Radix per messes ablaqueata circunfossaq; concidit

tur, post die succum expumat aptissimum dentium dolori, collectionibus, & tuberculis, quæ opus sit discutere. Aluum purgat. Ramus ut existimant magi, luna plena defractus, cum incipit fructu turgere, priuatim mulieribus alligatus lacerto, contra abundantiam mensium proficit.

Olea.

Cap. CIII.



Lea quam gallicum vulgus *oliuerum* nominat, arbor est notior quam ut debeat explicari, saligneis ferè frondibus, angustis, quæ tam breui innituntur pediculo, ut quasi defixæ cohæreant, floribus pusillis quidem, sed foliatis, fructum ambientibus, qui cardui si perforati spectentur, probæ flosculorû iacturæ præbent auguriû, baccis maturitate nigrantibus, quæ carnis callo & nucleo interiacentibus constant. Radice vnica paruâque & velut lacinia ex medio tendente firmatur, cæteris grandioribus, & cancrorum similitudine contortis, alijs crassioribus, alijs obliquis & inæqualibus, summo cespite cohærentibus, nodosis, villosis, quod v su venit, quia breues permultas ac tenues promiscuâsq; fundit olea, quæ nõ recto tramite possunt progredi, quapropter in obliquû iaciuntur, & retortæ in nodos extuberant. Huic medulla tam incerta est, ut non in medio ligno haberi, sed per totum lignum spargi videatur. ideò quidam ea omnino carere existimant. ex vrbis perpetuò viret. Cæterum supina foliorum contra quam cæterarum, candicant magis quam prona, minúsq; sunt leuia, vertunturq; mox post æstiuum solstitium. In Syria & aliubi fructum ferunt, vix modo congestum vbertate soli. Oleam vtiliter & probè defloruisse diximus cum caduci eius flores perforati reperiuntur. Nascitur omnibus modis extra q̄ surculo, qui defixus germen non citat. Ex nucleis eius syluestrem oleam prouenire Theophrastus retulit: lignum subtus scindendum, & lapide interiecto ferendum. ex annotinis surculis fructificat. Viuax est, & diutissimè durat, & caudice, & laterali germine, nepotúmque procreatione atque etiam stirpe incorrupta. Vitam ducentos annos longissimam esse tradidit Theophrastus, addiditque aliquanto longiorem oleastro. Præcisa regerminat & melior redditur. Interit maxima ex parte vel fisso caudice. Odit quoque quercum: namque si quercetum in cõfinio habuerit, non solum non feret, sed etiã fugiet, introrsúmque se in fundum abijciet, quando quercus etiam excisa radices noxias oliueto relinquit, quarum virus enecat oleam: quanquã feri possit, vbi arbutus aut ilex steterunt. Sic in Arcadia spectari solitam arborem Pausanias adfirmat, è cuius radice vna ilex & olea nascerentur in quodam fano. Si oleã posueris, vnde cerrus vel esculus effossa est, emoriatur. ideò quòd vermes quidam sunt, qui in radice harum nascuntur, & inibi educantur, iique maximè semina oleæ consumunt. Vna omnium regerminat in opere. nam oleaginea materies tum rudis, tum sæpe elaborata, si humorem nacta fuerit, locúmque adipiscatur humectum, germen potissimum citabit, ita ut iam carido valuæ, & poculum limo immersum prodantur regerminasse. Ea crispa est & spissa atque perpetua, quam amaritudinis causa neque tinea rodit, neque teredo exest: ideòque ex radicibus olearum & minora sculpebãt simulacra, quòd carnis æqualitate constarent, nec dehiscerent in rimas. Ignem quanuis optimè subditum excipiat, quæ spissa & pingui natura sit, ignarijs tamen suo virore æterno ineptissima

habetur: obliquitate atq; duritia fragilis. Olea peculiaribus nonnullis patet morbis. nam præter vermiculationem, quæ ficum etiam conficit, clauo quem helon vocant infestatur, quidam fungum malunt appellare, alij patellam, quæ Græcis quoq; lопас dicatur, quæ ceu quædam solis inustio visitur. Proprium quoq; arbori malum congnos, pro eius natura respondens, etsi deriuetur etiam in alias id nomen. Sunt qui affectum premnon, alij crotonē cognominent. Pessimum cum deflorescenti oleæ imber incessit. In Mileto cum florēt, eruca rodunt, aliæ frondem, aliæ florem, sed genere diuersæ. sentiunt & vermiculationē baccæ. Vermis oleæ natus sub cute fructum adimit, qui gigni prohibetur pluuijs, quæ arcturū sequantur. Vocatur ea affectio arachnion, hoc est aranea fructus absumēs. Vermis sub corio prouentum adimit, inuicēmq; iuuat, si erodens nucleo adnascatur. Nulla post ficum arbor vredini magis est obnoxia. Campæ, hoc est eruca etiam appellantur in oleis vermiculi, flatibus austrinis creati, vt ipes in vitibus. Est & impetigo peculiaris ei morbus, vt scabies in fico, & in vitibus fluor. In mari rubro viuit olea quæ vocatur Arabica, ariæ tantum folio, baccis ferè nostratibus, fungos cum largi ceciderunt imbres educans, qui tacti sole in pumicē durantur, ex qua manat, vt Theophrastus tradit, lachryma, inhibendo vulnere sanguini expetita medicis. In sinu etiam Heroo ad quē descendunt Aegyptij, olea cernitur lapidis specie, non viridis parte à mari emine,te, similis tamē viridibus, tam folijs q̄ germinibus. Oleam idē negauit Theophrastus nisi trecētis à mari stadijs nasci, sed quibusdā in locis prouenire notatū est. De olearū origine Græci agricolæ ita fabulātur, Cum à primordio Tellus aquis emerisset, primū Athenis emicuisse: cūmq; Minerua & Neptunus amore loci capti, de ciuitatis sibi dicādo nomine contenderent, Iupiter eorum controuersiam diluere cupiens, tulit sententiam, eum oppidi principatu potiturum, qui hoc meliori possessione donaret. Neptunus itaq; portu & naualibus exornat: Minerua in Acropoli cum lætam & virentem tum fructiferam oliuam ædit, quam in coronam capitis intorquens, omnium calculo vicit, & ciuitatem suo nomine (Athene græcè vocatur) nuncupauit. quo factum est, vt qui inito certamine aliquo, victoria fruerentur, implexa ex oleastro corona à spectatōribus cingerentur. Addunt magicæ superstitioni addicēti, frondem oleaginam dolore capitis liberare, si Athena Mineruæ nomen inscribatur, etiam si capiti non adligetur. Feruido squalidōq; cæli statu gaudet. Ardua loca depressaq; sed longè magis mediocres cliuos amat: in ijs enim excel lens solis ardor ventorum proflatu refrigeratur, quare optimū exhibent oleum. Planis verò & cāpestribus locis oleæ minus impetu ventorū agitata, aq; insidentis æstu solis ambusta, crassius oleū mittunt. Siquidem cū omnes stirpes, tum oleæ maximè, aduerso flatu roboratae vigent, argumēto quòd oleas lætiores & virentiores offendes locis qui vētis patent, tristiores ijs qui à flatu silent, nec spiritus nouitate recreantur, modo id intercedat spatij, quò liberè peruagetur aura. Igitur accliuibus & arduis oliua lætatur, q̄ propitium nacta ventū, suæ nihil expirat fa-liuæ, sed in omne partes æqualiter insinuās arborē excitat, alit, auget. Seritur ab Sicularū occasu ad brumam: item vere, quando hæc duo tēpora sese imitentur, calidam humidāmq; fortita naturā. Autumnus calorē adhuc retinet pristino solis illustratu cōceptum: humorē à caducis eo etiam tempore imbris cōtrahit. Ver autē à præcedentibus pluuijs humorē, ab abscessu solis calorē concipit. Por-

rò solum vuidū & lætū cōmodè recipit hanc arborem, vberiorēsq; dat oliuas.
 quapropter id præferendū fuerit. Secūdum sibi locū vendicat, cui argilla subest.
 Rubricosum repudiatur, q̄ suo æstus calore stirpes exurit: sed longè magis fa-
 lebrosum & scaturiginosum, in quo semper vligo consistit damnatur. quippe q̄
 5 strigosas & minimè altilis baccas, vliginosōsq; partus creet. ieiunior paulo terra
 vt attica testatur, accōmodatior. inimicus est ager sabulo macer. Cæterū longè
 fuerit breuius, vt Didymus asserit, si eidem solo plantulæ credantur, quæ morā
 in seminario trahentes, iam cultus diligētia profecerunt, quoniā translate tutum
 cōtrahunt vigorē. Nēpe solum omnino, in quo stirpes panguntur, qualitātē nō
 10 modo & figuram plantarij, sed & cæli quoq; conditionem referre debet, ne quod
 in eo pangitur, noua loci peregrinitate tentetur: maximūmq; fuerit beneficiū, vt
 proficiāt incremento, si rubrica partes notētur, quibus obuersæ steterūt, vt simili
 ratione ponātur. Porrò legi debent, qui seminio destinabuntur nō stolones cau-
 dicibus adnati, sed summatim decerpti ramis furculi, longitudine cubitali. Dan-
 15 da est opera, ne cortex sectione violatus collidatur, sed falcula quæ acie polleat,
 vulnus vndiq; læuigetur, seruata stirpis integritate. Stylus parte ima bubulo fi-
 mo cū cinere linendus. scrobes cōcamerato sinu, vt imbriū sint capaces, excauā-
 di. Ramulus nō in verticē humādus, qui tamen palmū à terra extet. Arundo ad-
 figēda, vt à cultoribus cognoscatur nō ante septimū mensem. Explantari debet
 20 arbuscula trimatu altilis & vegeta, quadrima iam collucari debet, & superuacui
 termites putari. ea ratio ferendi vt Didymo placet longè melior habetur. Non
 defunt, qui sectas ab imis radicibus soboles deponant, postea cū cōprehendisse sic
 videbuntur, vt mutationi sit locus, transferunt. Gaudent iugi rigatu, ita celeriorē
 germinatū ædunt, faciliūsq; transponūtur. Locus, quē oleis, vt Didymus præce-
 25 pit, dicaueris, runcādus est, omniq; alterius generis frutice extirpandus, macerijs
 aut sepibus viuis cingēdus, ne aditus pecori detur. Scrobes ante sationē fodiendi,
 vt sole, ventis, & imbribus terra reddatur fragilior, stirpēsq; iaciāt vltro citroque
 radices. Vno aut altero mēse minimū aridis fruticibus, cremijs, arūdinibus, stipu-
 30 lis, & ijs quæ ignē facile concipiunt stramentis, scrobes adurantur, qui tricubitali
 altitudine, aut minimū sesquicubitali cauentur, sed liberale quinquagenūm cubi-
 torum interuacet spatium, vt & caudices perflatu venti fruantur, & intercedens
 locus feri possit. alioqui si sementis subtus neglectui habeatur, tanto ramorū sti-
 patu luxuriabunt, vt in sese mutua vmbrae beneficia non conferant. Post ab-
 laqueationē fimi aggere lætantur, vt Sotion scriptum reliquit, sed locis vligino-
 35 sis longè minus stercorari debent. Adularum olearum superuacuum putationē
 moliri occasu Pleiadum vt in reliquis arboribus, oportet, quo tempore prima
 aut media salua in germina se diffundit, & in fructus alimoniā permeat: secun-
 do cum ob æstatis ardorē arbor humore deficitur: tertio cum hybernos imbres
 nondum hauserit. horū omnium gratia autumnō tēporius hanc putationē fieri
 40 volunt, q̄ cum reliquæ arbores, tum oleæ maximè robustiores habeantur. Ante
 tamē superfluorum repurgationē stercore satiari conuenit, vt aduersus noxam
 quæ putatione contrahitur, fimi iuuamē opponatur. Siquidem repurgati quoq;
 caudices, reserminum causa vitio laborant, quibus celeriter stercoratu succurri-
 tur. Superuacuis arbor exonerata lætius fruticat. Resecare autē oportet & mar-
 45 cida & sicca & media, vt liberalius diffrentur: item ramulos detrahare qui inuicē

incumbunt: itidē inflexos & recuruos amputare, præsertim cum in nimiam lon-
 gitudinem exeunt, & alia etiam quæ in difformem proceritatem tēdunt, vtpote
 cum suapte natura notentur infertilia. Quapropter inter omnes rei rusticæ
 prudentes conuenit incommodam esse longitudinē olearum, quæ denos excedit
 cubitos. Amplius etiam incrementum omnibus patere noxis addiderunt, quòd
 & rami ventorum impetu frangantur, & flores quoq; succussi intempestiuè pro-
 cidant. idē complures ramos versus terram trahunt, vt humiliorem redditam
 arborē cogant in solum procumbere. Conuenit etiam stolones, & adnatos cau-
 dicibus nepotes adhuc molles & teneros quotannis eximere, ne his onustus cau-
 dex fatigetur. Africanus restibilem oleis adferri fœcunditatē author est, si semel
 in excauatū terebro foramē, duos feracioris oliuę ramulos in cacumina vtrinq;
 adegeris, sic vt traiectim penetrent, manibúsq; vehemēter tranfactas parteis tra-
 xeris, dūmq; veluti impacti cuneoli strictim adhæserint, exertum vtriusq; taleæ
 verticē, hoc est extantes foramini stylos resecueris, lutóq; cum aceribus aut pa-
 leis oras foraminis & hiantē sinum illeueris. hoc velut initu grauida arbor vber-
 riorē partum enitetur. Cæterum vt Quintiliorum agricultura docet, lætiores &
 virētiores plurimum fructum adferent, si circum radices ablaqueatas in sulca a-
 murca aquæ mista fundatur. vtriusq; sextarius sufficit. Acus quoq; fabaginū vel
 paleas satis est indidisse. vel etiā vrinæ humanæ quantum satis visum fuerit affun-
 ditur, aut argilla bubulo stercorei permista imponitur, aut marini fuci tantundē:
 sed ab ijs confestim terra circa eas adaggeretur à radicibus dodrantali altitudi-
 ne, sinu in orbē fornicato, vt imbres pluuij retineantur. & cum se infuderint, bre-
 uissimis ac frequētissimis fossionibus sollicitentur. Id genus etiā auxiliij adhibere
 licet, cum Caniculę incēdijs arbores deflagrant, quo tēpore, & etiam quū siccita-
 tes inceserunt, rigationē desiderant. Idē Quintilij, si sterilitate laborent, ad fer-
 tilitatē reduci prodiderunt hac ratione. Ab radice cubitali spatiolo caudicem te-
 rebra gallica perforabis, quā spectat in Austrū, impresso foramine digiti maioris
 amplitudinē capiēte, tunc duos frugiferæ arboris ab australi parte ramos tolles,
 crassitie quæ hiatū foraminis explere possit, & strictē in ipsum vtrinque conijcies,
 distractisq; vehemēter palorū cacuminibus, abscissóq; eo quod superabit acero-
 so vel paleato luto, curabis occulere. hoc velut coitu steriles arbores vberatur. Sic
 quales volueris oleas adipisci, tales fructuarios vti scriptū est, indes ramulos. ita
 melius oleum dabit, impressis foramini ramulis eius, quæ callielæa Græcis, id est
 fatiua à cæli parte lectis, quæ ad Austrū dirigitur. Cæterum quæ nimia ramorum
 petulantia syluescunt, aut sine fruge luxuriāt, has velut insanas Græci vocant hy-
 lomanes. earum multiplex lapsus erraticúsque furor ita coercetur. In foramen
 quod gallica terebra excauit, viridem taleam oleastri, vel pini vel querci pa-
 los, vel lapidem immittis, sic velut inita arbor fœcūdo semine fertilior extabit.
 Solent etiam quanuis lætæ arbores fructum copiosum adferentes ad maturita-
 tem non perducere, aut largum florem induētes perperam exuere: quod vitium
 abigetur, si ablaqueata arbore, maiusculo caudici fuci corbes duos obduxeris,
 minori singulos, dein amurcā aquæ permistam infuderis. quòd si fuci non detur
 occasio, solius amurcæ vsu eris contentus. Iuuantur quoque arbores amurca in-
 sulsa, cum suilla vel nostra vrina vetere, cuius vtriusq; modus seruetur. nam ma-
 ximæ arbori, ni tantundē aquæ misceatur, vrna abundē erit. Solent etiam oleæ

vitio soli fructum necare: cui rei sic medebimur. Altis gyris ablaqueamus eas: deinde calcis pro magnitudine arboris plus minusve circumdabimus, sed minima arbor minimum postulat. hoc remedio si nihil effectum fuerit, ad præsidium infitionis confugiendum erit. Nonnunquã etiam in olea vnus ramus cæteris aliquanto lætior est, quem nisi recideris, tota arbor contristabitur. Si radices ficas & velut morbo languentes offendas, huic acceptum causæ ferēs, vermium progeniẽ interno sinu delitescere, quos cum pluribus vt dictum est modis, tum præcipuè circumsita scylla demolieris. Oleam si lambendo capra lingua contigerit depaueritque, primo germinatu sterilefcere author est Marcus Varro. Varia vt Leontinus docet, oliuetorum ratio. Siquidem aut taleam totam immergi oportebit, aut partem alteram humari, alteram partem solo supereminere, non quæ prorsus obruuntur, sed duntaxat quæ altera parte extant rubrica notari desiderant, vt sic quemadmodum in parête steterat ramus, ita parte ima terram, & cacumine cælum spectans deponatur. Nam si merfus inuersus mergatur difficile comprehendet: & quemadmodum in trũ co residebat, ita in meridiem, orientem, vel occasum dirigatur, ne hospitij peregrina nouitas officiat. Rigadæ sunt plantæ cum squalores inceserunt. indendæ scrobibus vtrinque leues virgæ vel arundines, vel recta farmeta quæ superueniant, & vbi calcata fuerit terra tegere conuenit, loca vacua lapidibus aut testis implere, & maiusculo cooperire lapide, vt pluuius imber ad radices per interstitia descēdat. Taleæ celeriter erutæ austrinis diebus feri debent. Multiplex ferendi ratio: nonnulli crassiores ramos arboribus adimunt, & ex ijs quàm recentissimas taleas serra præcidunt, quæ binũm cubitorum proceritatem impleant, dein in rectum constitutas adobruunt. Alij soboles cum caudice serunt: alij residẽ adhuc caudici plantulam decisis falce capitibus & brachijs in truncum redigunt, & terræ fossæ circiter ortum arcturi defigunt. Alij insignes ramos quinũm aut quaternũm cubitorum longitudine à caudicibus serra præcidos solo committunt, sed rubrica partes notant quibus obuersæ steterunt, vt quemadmodum in arbore cohærebant, ita parte ima, terram & cacumine cælum spectantes deponantur, ita celeriore proficiunt incremento, celeriorẽmq; fructũ largiũtur. Non desunt, qui recisos è caudicibus maiores truncos relicto superius cortice, cacumine tenuis adobruant, sic tamen vt quatuor digitis altè superueniant. Alij nitidos ab imo caudice ramos adimunt, & quàm recentissimas taleas sesquipedales recidunt, ita vt ne corticem aut vllam aliam partem quam serra præciderit, lædant, & in defossum scrobem lapide subiecto deponunt, & aggere sic obruunt, vt supra terram palmum extent. Cauendum tamen fuerit, ne quouis modo cortex serra violetur, quod facillè contingit, si prius varam feceris, & eam partẽ supra quam ramum secaturus es, fœno aut stramentis texeris, vt molliter & sine noxa corticis, taleæ superpositæ secẽtur, plagæ earum vtraque parte falce læuentur, seruata integri corticis incolumitate. sed oportebit talearum capita & imas partes misto fimo cum cinere oblinire. Obseruandum itẽ ne inuersæ mergantur, sic enim torquẽte vitio offensæ, difficulter comprehendent, & cum validius conualuerint, steriles in perpetuum erunt. Stercus iniiciendum scrobibus, siquidem fimo pabulatæ lætius frõdent. & postmodum longè magis vberant. Stercorari debet oliuetum, sic arbusculis prospicietur, a murca valentibus infundenda, nam per hyemem si vermes atque alia suberunt a

nimalia, hoc medicamēto necantur. Plerunq; etiam tam humidis quàm siccis locis arbores musco infestantur, quem nisi ferramēto refeceris, nec fructum, nec lætam frondem inducet: itaq; cum prægelidum & pluuiū cælum est, oleæ debēt emuscari. Omnis soboles ex vna stirpe nata quotannis extirpanda est. cum terra æstibus hiat curandum est, ne per rimas sol ad radices arborum penetret. Post Aequinoctiū autumnale, arbores ablaqueandæ, vt à superiori parte, si oleæ in cliuo sint, incilia excitentur, quæ limosam aquã ad codices deducant. at vbi oliuatio suos reddiderint fructus, collucãdas suadet Democritus. Summotis enim petulantioribus ramis, minus decoquēt domino: quin potius hoc vetustorū ademptu magis arbores vberant, largiorémq; nouelli rami frugem impertiētur. Non profluent ruentes baccæ, vt idem asserit Democritus, si fabam pedicillum intus continentem obstructo cera foramine, in gleba radicibus hærenti condideris, sic labans fructus firmabitur. Addidit oleam stercore iuuari, humanum dūtaxat respuere, bimas & trimas fimo delectari, quòd non radicibus sed colibus non procul inspergendum. Omnis tamē scrobs, in quo pangi debet olea, fimo terræ misto stercorebitur. Florentinus oleas ab octauo Calendarum Aprilium die, quod est ab vigesimo secundo Martij mēsis, vsq; in tertium Nonarum Iulij, inferi debere præcipit, ita vt locis frigidis serius, calidis maturius inserantur. Insitæ sæpius aquarū imbre rorandæ. Aliqui procumbentes humi radices inferunt, sed quæ tenui & humido vestiūtur libro, inter corticem: quæ crassiore tunica induuntur, intra lignum inferi iubent. Non est prætereundum silentio quod de vitis & oleæ naturali concordia, Africanus Florentini testimonio fretus, posteritatis memoriæ mandauit, scribens oleam, si viti inseratur, non vuas modo sed & oliuas quoq; parere. Addit visam arborē à Mario Maximo, qui cum fructū eius degustasset, negauit vnquam se quippiã comesse, quod magis oleam vuamq; resiperet, tam exactè simul vtriusq; sapor linguæ repræsentatur. Nascuntur, vt ait, huiusmodi arbores in Libya, gentiliq; ac vernacula regionis voce, *vbolima* nominant. Periticæ subijciundæ, qui possint brachiorum onus fulcire. Si vero alio modo quouis inserantur, longurijs non erit opus. Ergo propter terram vitē terebramus, & oleæ ramulum imponimus, simul vt à vite dulcedinē, simul & ab humo vernaculum alliciat nutrimentum, vt tandem eius iucundiore cibo fruamur. Postremo si nondum ferentis viticulæ sarmenta fructuaria transferantur, misturam progenitorū seruabunt. porrò fructus à promiscua parentum conditione insitoris vtriusq; nomen adoptauit, *elæostaphylos* Græcis, quasi dicatur vuolea nominatus. Syracusis vt Diodorus est author, in frondibus olearū scriptis optimatum nominibus, discessione facta, irrogabatur quinquennale ciuibus exilium: de quo argumentum genus id multæ petalifmus appellabatur. sed iam ad medicinam descendamus. Olearum folia vehementer astringunt, purgant, sistunt. Itaq; manducata vlceribus apposita medentur, & capitis doloribus illita cum oleo. Decoctum eorum cum melle ijs quæ medici vserint, gingiuarum inflammationibus, reduuijs, vlceribus sordidis, excrescentibusq; prodest. Cum melle profluuiū sanguinis cohibet. Succus eorum carbunculantibus circa oculos vlceribus, & pustulis, procidentiq; pupillæ efficax: quapropter in collyria additur, nam & vetustas sanat lachrymationes, & genarum erosiones. Exprimitur autem succus tuis affuso vino ex aqua cælesti, siccatúsq; digeritur in pastillos. Sistit menses in vellere

admotus vuluæ. Vtilis & faniem emanantibus, item condylomatis, ignibus facris, vlcibus quæ serpunt, epinyctidi. eosdē & flos earum præbet effectus. Vruntur & coliculi florescentes, vt spodij vicem cinis præstet, vinóq; infuso rursus vritur. Suppurationes & panos illinūt eo cinere, vel folijs tufis cum melle, oculos verò cum polenta. Succus fruticis recētis accensi distillans sanat lichenas, furfures, psoras, vlcera manantia. E' radice oleæ q̄ tenerrimè cortex derafus, in melle crebro gustatu medetur sanguinem reijcientibus & suppurata tussientibus. Cinis ipsius cū axungia tumores discutit, extrahitq; fistulis vitia, & ipsas sanat.

¶ *Oleaster. Oliua. Oleum.*

Cap. CIIII.



Oleaster Græcis cotinos, dicitur syluestris olea, fœcundior fatiua, quod ferè syluestres habent, ceu cura fertilitatem minuente. Oleastro vita longior quàm oleæ, sed Olympiæ longissima. Hæc arborum vna cum olea teredinem sentire non dicitur, tametsi frequenter vredine laboret. Mansuescere hanc densis circa taleis, aut omnino translatione mitè fieri, vix potest adduci Theophrastus vt credat. Codex quibusdam peculiaribus cauernulis dehisceat, quod & in olea quoque deprehenditur. Caudici medulla tenuis pertuso, impressa oleastri talea sterilem oleam fœcundat. Materies ei perpetua, spissa, crispa, in totum oleagina nodosior, ex qua breuiore marculos, & terebris vaginas optimè sicut è buxo, vlmo, fraxino, aquifolia factitatas prodūt. Syluestris olea ex fatiua nucleo nascitur. Porrò quod ad insitionem pertinet, oleaster oleam optimè recipit. Cæterum ex oliueto iam insito & casu quodam incenso, infelix renascitur oleaster: quod ne contingat ita prouidendum erit, Positis prius oleastri brachijs in scrobe, in qua pangere disponimus, scrobes ita replebimus vt mediæ vacuæ sint. Cum comprehenderit oleaster, inferemus in fimo vel insitum mergemus, & insitionem propè infra terram nutriemus, deinde sicut adolescit, terram subinde colligimus: ita commissura in profundo latente, quisquis vrit, aut cædit, oliuæ locum non aufert pullulandi, quæ & apertam redeundi felicitatem de olea, & occultam valendi feracitatem de oleastri cõnexionem retinebit. Prima huius apud Græcos origo sic ducta, si Pausaniæ credendum est, homini doctissimo quidem, sed alioquin ijs in rebus superstitioso: nam & clauam Herculis ex Hyperboreis reuersi ex oleastro volunt fuisse, prius ignoto Græciæ, quæ terræ defixa sponte refluuit apud Trœzenios, aut certè iuxta amnem Alpheum, in qua gente locus est versus mare oleastri frequens: quemadmodum ab intorta specie olea celebratur cognominata strepte, circa Epidaurum, adiecta eiusdem authoris fabula euenisse, circumactu manus Hercule illac permeante. In Olympiæ nascentē oleastrū idem tradit Pausanias, callistephanon appellari, quia Olympiæ victores ea coronarentur, sicut moriā in Academia satam vocabant oleam, & syluestrem agrielæam, & callielæam quam nos dicimus fatiuā. Syluestris oleam quam aliqui Aethiopicam nominant, folia astringunt. trita igni sacro, vlcibus quæ serpunt, epinyctidi adhibentur. Carbunculos: nomas: paronychia cohibent. sordidis illinuntur vlcibus, panos collectionesq; cum melle discutunt. Cruistas resoluunt ex melle imposita: cutem à capite vulsam conglutinant: commandata priuatim oris vlcibus medentur. ijdem effectus & expressorū succo, & de-

coctione spondent. Proluuiem sanguinis & abundantiam foeminarum coercent succo appposito. is & vnas oculorū, vlcera, & veteres fluxiones sanat: proinde collyrijs expetitur. Excipitur succus affuso vino, vel aqua, siccatūsq; in pastillos cogitur. sed longè validior succus, qui cum vino, quàm cum aqua expressus est, & diurnitas maior. Is vtiliter auribus instillatur, si vel pus effluat, vel exulceratio sentiat. Folijs in affectu cœliaco vter illinitur cum hordeacea farina, item in rheumatismo cum oleo & capitis doloribus. Flore oleastri condylomata perunguntur. Cutem in capite ab ossibus recedentem, cauliculi decocti & cum melle impositi comprimunt. Fructus ex oleastro maturi in cibo sumpti, sistunt aluitostoti & cum melle triti nomas repurgant: carbunculos rumpunt. Vruntur cum floribus folia vt spodij vicem cinis penset: in cruda fidelia oblitis luto faucibus, in fornace tantisper continentur, dum torreatur figlinū, deinde vino restinguitur, quo perinde rursum infuso iterum vritur. Is cinis vehementius inhibet rheumatismos, sedat inflammationes oculorum, purgat vlcera, alienata explet, ex crescentia leniter erodit, siccat & ad cicatricē perducit. Hoc autem peculiare, q̄ folia decoquuntur ex melle, dantūq; cochlearibus contra sanguinis excreationes. Oleum tamen acrius atq; efficacius, & os quoq; colluitur illo: ad dentium infirmitatē imponuntur. Folia, & paronychij & carbunculis & cōtra omnem collectionem cum vino, ijs verò quæ purganda sunt, cum melle miscētur, oculorum medicamētis decoctum foliorum & succus oleastri. Eluitur cinis cerusæ modo, & deinde digeritur in pastillos, non alio q̄ spodij vsu. Oliuæ constant nucleo, quæ sansam vocabat antiquitas, carne, amurca: sanies est hæc eius amara. fit ex aquis, ideò siccitatibus minima, riguis copiosa. Suus quidem oliuæ succus est oleum. Oliuarum genera complura esse traduntur, sed in agricolarum notitiam decem peruenerunt, pausia, algiana, liciniana, sergia, neuia, culminia, orchis, regia, circites, murtea. Bacca iucūdiſſima est pausia, speciosissima est regia, quæ potius escæ quàm oleo est idonea. Pausiæ tamen oleum saporis egregij, dum viride est, vetustate corrumpitur. Orchis quæ à similitudine testicularū, vt arbitror, dicitur, antiquitus archemora, grandis olea Varroni dicitur orchas, melius ad escam quàm in liquorem stringitur. radius vocata cibus grata. Oleum optimum licinia dat, plurimum sergia. Omnisque oliua maior ad escam, minor oleo est aptior. Virgilius tribus earum generibus est contentus, orchite, radio, pausia, quæ nec desiderare rastros aut curam tradit. Cæterum maior ars oleo quàm vina temperandi. quapropter oliuæ dissident inter se succi ratione. Primū omnium cruda, atque nondum inchoatæ maturitatis: hæc sapore præstantissimo. Quin & ex ea vnda præli laudatissima. Quanto maturior bacca fuerit, tanto pinguior succus, minūsq; gratus. Optima autē ætas ad decerpendum inter copiam bonitatēq; incipiēte bacca nigrescere: nostri vocant *drupas*, Græci verò *drypetas*. cætero distat, an maturitas illa torcularibus fiat, an ramis, irrigua fuerit arbor, an suo tantum bacca succo, nihilq; aliud quàm rores cæli biberit. Baccæ nonnullis regionibus conuiuiorū epulis præparantur. has igitur cum nigruerint, nec tamē præmaturæ fuerint, sereno cælo distringere manu conuenit, lectāsque cribrare & secernere, quæcunq; maculosæ, seu vitiosæ minorisve incrementi videbuntur. deinde in singulos modios oliuæ, salis integri ternas heminas adijcere, & in vimineos qualos confundere, superposito copioso sale, ita vt oliuas cōtegat, sicq; triginta

dies pati cōsudascere, atq; omnem amurcam extillare, postea in alueum diffun-
 dere, mundāque spongia salem, ne permaneat, detergere, tum in vvas adijcere,
 & sapa vel defruto amphoram replere, superposito aridi fœniculi spiffamento,
 quod oliuam deprimat. Plerique tamen tres partes defruti, aut mellis, & vnam
 5 miscent aceti, & eadem portione qua suprā saliunt, & collocant in qualis, vt im-
 mistis seminibus lentisci alterna tabulata oliuarū, & salis, vsq; in summum com-
 ponunt, deinde post quadraginta dies, cum oliua quicquid habuit amurcæ, exu-
 dauit, in alueum defundunt, & cribratam separant ab seminibus lentisci, spon-
 giāq; detergent quicquid adhæreat salis, tum in amphoram confundunt, adie-
 10 cto defruto vel sapa, vel melle. In singulos modios oliuæ singulos sextarios ma-
 turi seminis anisi, lentisci que, & ternos cyathos seminis fœniculi addidisse satis
 est. id si non est, ipsum fœniculum concisum adiecisse satis est, deinde in singulis
 modijs oliuarum salis cocti & non moliti ternas heminas admisceri, & ita ampho-
 ris condi, eāsq; fasciculis fœniculi oportet obturari, & quotidie per terram volu-
 15 tari, & tertio vel quarto quoq; die, quicquid inest amurcæ, mitti, post quadragin-
 ta dies in alueū diffundi, & à sale tantummodo separari sic ne spongia detergean-
 tur oliuæ, sed ita vt erunt exemptæ massulis salis mistis in amphorā condantur,
 & spiffamenti impositis ad vsus in cellam reponantur. Ratio condituræ colym-
 badūmq; oliuarū talis, Alternis cratibus oliuarum pulegium spargis, & mel & ace-
 20 tum & sales modicè, stratura intercedēte, suffundis, item sternis oliuas supra sur-
 culos fœniculi, vel anethi, vel lentisci, & ramulis oliuæ subditis, aceti heminam &
 muriam superfundis. has cōstructiones vsq; ad vasculi plenitudinem patieris in-
 surgere. Alij delectas oliuas muria macerant, & post quadraginta dies eam fun-
 dunt vniuersam, tunc duas defruti partes, aceti vnam, mentham minutim inci-
 25 sam vasculo conijciunt, & oliuis replent, vt iusta infusione liquor supernatet. A-
 lij oliuam factam colymbadem de muria tollunt, spongiāque detergent, deinde
 canna viridi scindunt duobus vel tribus locis, & triduo in aceto habent, quar-
 to die spongia detergent, & in vrceum vel fideliam nouam immittunt substra-
 to apio, & modica ruta. cōcisis deinde pleno vase oliuis immittunt defrutum vs-
 30 que ad os. Lauri turiones hoc vsu mittunt vt oliuæ deprimantur, post dies vigin-
 ti vtuntur. Alij baccas quæ iacentes reperiuntur, rugis contrahentibus crispas
 colligunt, & salibus tritis resperfas expandunt, donec sole perarescant: tum sub-
 strata lauro alternas crates baccarum sæpius ordinant, tunc defrutum cum satu-
 reia fasciculo duabus aut tribus vndis feruere patiuntur, & postquam tepuerit,
 35 supra compositas baccas refundunt, admisto sale pauxillo, & origani fasce con-
 iecto, supra ius omne perfundunt. Alij passli sextarium vnum, cineris benè cre-
 ti quantum manus vtraque gestabit, adiecto vetere vino & frondibus cupressi
 permistis, infusas oliuas conculcant, & crustam faciendo saturant, donec ad vas-
 culorum fauces perueniant. Non desunt qui lectas ex arbore baccas statim con-
 40 dant, rutam & petroselinum inter spatia structionis sternant, & subinde cumi-
 nati salis aspersione cumulent, postremum mel & acetum superfundant, nouis-
 simè olei optimi quantumcunque misceant. Sunt & qui lectas ex arbore baccas
 muria diluant, tunc ollæ mellis partes duas, vini vnam, defruti dimidiam adijci-
 ant, & vbi deferbuerint, deponāt, ac permouentes acetum misceant: cum refri-
 45 xerit, super oliuas surculos origani sternunt, & supra ius omne diffundunt. Alijs

oliuæ manu decerptæ cum pediculis aqua triduo sparguntur, deinde muria macerantur, post duodecim dies exemptæ cum æquis musti & aceti ponderibus in fideliã conijciuntur, oppletum vas adoperitur: sed aliqua dimittantur spiramenta. Oliuæ colymbades ideò vocantur, quoniam oleo suo puræ, hoc est sine accersita commedatione innatant, & velut vrinabundæ fluitant. Halma-
 des verò dicuntur, quæ muria propriè condiantur, etiam si Græci nonnunquam huiuscemodi nomina persæpe confundant. Sunt & netrides appellatæ Iulio Pol-
 luci, quoniam enatent. Sunt & pityrides, hoc est furfuraceæ, quæ in vsum hunc stringuntur, antequam omnino maturescant. Nigræ oliuæ stomacho vtilio-
 res, ventri minus. Præclarum habent antequam condiantur, vsum, recentes
 per se cibi modo deuoratæ. Medentur arenosæ vrinæ, item dentibus, aut at-
 tritis, aut conuulsis. Alba oliua facilior ventri, stomacho magis aliena: oculis non conuenit, & capitis dolorem infert. Tosta & imposita nomas amolitur, car-
 bunculos rumpit. Commanducatur & protinus ex ore imposita, pustulas gi-
 gni prohibet. Vtraque prodest ambustis trita & illita. Colymbades fordida vl-
 cera purgant, inutiles difficultatibus vrinæ, ambusta à pustulis vindicant. Suc-
 cus earum è muria colluentium gingiuas comprimit, dentes infirmos commo-
 tósq; stabilit. Sanfarum, hoc est nucleorum, medulla cum axungia & polline far-
 raceo scabris vnguibus illinitur. Oleum ita fieri consuevit. Cum primum bacca
 variare cœperint, & iam quædam nigræ fuerint, sereno cælo manibus oliuã de-
 stringi oportebit, & substratis tegetibus, aut cannis cribrari & purgari, tum dili-
 genter mundatam protinus in torcular deferri, & integram in fiscinis nouis in-
 cludi, præliisque subijci, vt quantum possit paulisper exprimatur. postea resolutis
 corticulis emoliri debebunt, adiectis binis sextarijs integri salis in singulos mo-
 dios. quod defluerit in labrũ, protinus capulator depleat, & in fictilia labra huic
 vsui præparata defundat. Longè melioris saporis est oleũ, quod minore vi præ-
 li quasi lixiuum defluerit. nanq; si nuclei confringantur, olei saporẽ vitiant.
 Cum verò paululum constiterit, subinde decapulandum est: nam quanto sæpi-
 us translatione ipsa ventilatur, tanto magis eliquescit & amurca liberatur. So-
 let cum amurca frigoribus cõgelari, tum inspersus sal coctus resoluit oleum, &
 separat ab omni vitio. si ne sic quidem resoluatur, præsertim cum maiora frigo-
 ra inceserint, nitrum torretur, & contritum inspargitur: ea res eliquat amurcã,
 quæ inimicissima est oleo, & si remansit in eo, saporẽ eius corrumpit. Debet ita-
 que oleum cibariũ fieri, protinus illata de oliueto bacca, commolita, & expressa.
 Minus probatur oleum ex oliua quæ decidit, vel tēpestatibus aut pluuijs in lu-
 tum defluxit: nam vermiculorum cæterarũq; immunditiarum saporẽ tra-
 hit, quare ad præfidiũ aquæ calidæ decurritur, qua immundæ bacca prius eluan-
 tur, quàm mole vel torculari credantur. Paxanius à Græcis tempus oliuitati sta-
 tuit idoneum, quum plus parte dimidia bacca nigrent, tum oliuarius ex agro in
 prælum coacturam solidarum progerit, antequam gelent frigora: sic enim lar-
 giores partus matres postea ministrabunt, & bacca copiosius fundent oleum.
 Sereno cælo manibus oliuas distringi oportet, minimè, cum pluuius imber in-
 cessit, qua perfusus furculus, & hinc imbecillitate contracta languens, facilè dis-
 rumpitur. qua de causa neque rorulenta die ramuli concuti manibus, neq; bac-
 cæ decerpi debent, prius quàm omnis arborum humor sole discutatur. Si lu-

tum subest, canistri & tegetes substernendæ: quæ si defuerint, immundæ baccæ & inquinatæ, & obsitæ luto, & quæ tempestatibus deciduæ subleguntur, calida perluantur aqua. Non desunt olearij qui rectè censeant factum, si solum manibus ramos succutiant, vt agitata baccæ labent, præcipiuntque ne rudem aut virgam, decutientes operæ, arboribus adhibeant, quoniam futurum esset, vt non prouentum inde sed detrimentum sentirent: quia fructum multo minorem sequentibus annis arbores exhiberent. Verendum quoque esset, ne hoc impetu deturbata bacca, dissiliret, aut certè lapidibus aut glebis durioribus attrita vulneraretur. Caduca, quòd puluere sit obsita, terrestrius dabit oleum. Longè ergo fatius fuerit scalas in triangulum actas subijcere, & latos asseres superponere, quibus insidentes leguli, manibus baccas distringant. Apuleius omphacini olei, id est viridis notæ conficiundi rationem ita subiecit. Id omnibus compertum esse debet, omphacinum ab acerba baccarum melligine nomen duxisse. Cum igitur oliuæ incipiunt maturescere, à pueris aut operis, manibus distringi iubentur, hac tamen obseruatione, ne qua vel cadiua vel fracida sublegatur, tantumque decerpendum oliuæ, quantum nocte veniente possimus exprimere. sed tegetes eas excipiant paulisper expansas, vt aquosum humorem exhauriant. Porro ne mutuo calore vitium trahant, promiscuas frondes & surculos secernere conuenit: ea res enim perennitati olei inimica est. Vesperis in sparso sale mundis molis subijciuntur, manùque leniter ita moluntur ne nucleus confringatur, qui saporem olei maximè vitiat. Trusatilis itaque mola celerrimè & volubiliter in gyrum rotetur, vt fraces, id est carnes & corticuli conterantur: mox corbulis minoribus quicquid fuerit mola fractum, in torcular transferatur. canistros è viminibus salignis textos oportet iniicere, quia salix oleum dicitur adiuuare, eiq; nonnihil conferre beneficij. deinde sarcina leuis quæ non vehementer degraueat, imponitur. Nobilius erit quod sponte, vel minore pressuræ vi, quasi lixiuum defluerit. hoc suauissimum & idem tenuissimum protinus deplet capulator, & in mundum vas seorsum defundit: reliquæ fraces simili disciplina premuntur, sed paulo grauiori pondere & mola fortiore quassantur. tortium inde manat oleum, quod velut secundæ pressuræ, priuatim in alia vasa transmittitur: hac iteratione inualidius, sed tertiatione multo deterius oleum exit. Sed vtrunq; decapulari iubent, sales deinde ac nitrum nouo oleo conspergi, & oleagina rude moueri: deinde cum paululum in labris oleum constiterit, inuenitur aquosa quædam sanies subsidere, quæ est amurca, & ius pinguiissimum superius enatare, quod purum citra amurcam, in vas vitreum debet transferri. Vitrum enim oleum maximè conseruat, quippe cum frigore lætetur olei natura. Si tibi defint vitrea vascula, in fistilia intus gypso perlita conijcitur. Olearia cella ad eum cæli statum constituenda, qui maximè à calidis ventis auersus est. quare vt ad Septentrionem spectet, expedit: ficcum enim & frigidum locum oleum diligit, calores & humores tanquam inimicos odit. Antiqui vasa cerari per oliuitatem iubebant, vetera tamè propter olei succum ceraturam non patiuntur: quam & complures quoque repudiant, existimantes dolia, liquida gummi perluere. Multi cum semel serias crassa gummi liuerunt, vna in perpetuum gummitione sunt contenti. Et sanè quæ semel oleum testa combibit, alteram gummitionem vel ceraturam non recipit. Respuunt omnem illitionem vasa prius oleo imbuta. oleum inde multa vitia concipit.

Fumo enim oleum infestatur, quapropter olearij in totū illud præcipiendum habent, vt neq; fumus neq; fuligo, quandiu oleū conficitur, in torcular, aut cellam oleariam admittatur. Vtraq; res inimica huic rei, quoniam minimè vapor ignis desideretur: quapropter & torcular & olearia cella ea cæli parte collocanda est, quæ calidis flatibus aduersetur, & in Septentrionem vergat. peritissimiq; olearij vix patiuntur ad vnam lucernam opus fieri. Vitiatur quoq; ea quæ remanserit amurca, quapropter vt ea lue liberetur, lacusculos ea parte qua defluet, sub ipsis fistulis, vel cauum lapidem subdi oportet, qui huiuscemodi colluuiem seorsum excipiat, vnde exhauriri possit, quicquid defluerit. nanq; siue syncera, siue non insulsa destillet, vtraque vsibus plurimis, vt dicitur, idonea est. Oleum quoque quod gelatur plerunq; fracescet, cui cum ad præsidia ventum erit, satis est, vt iam dictum est, salem aut nitrum opposuisse. Si sordet oleum, frictos & adhuc calentes sales Tarentinus iniici iubet, & diligenter operiri, ita mundum reddi post tempus exiguum pollicetur. Oleum quoque sordidum purgat pinea nux, quæ igni candens oleo restinguatur. Emundat & citri radix in oleum demersa. Oleum quod suis fracibus torridis fuerit inustum, lympidius eliquescet. Oleum rancidum idem Tarentinus asserit, sic posse curari. albam ceram mundo & optimo oleo resolutam, adhuc coctura liquentem, in oleum mitti iubet, tunc sales frictos calentes addi, sic fieri vt oleum purgetur, sapore & odore mutato. Neque ignorandum eam eius esse naturam, vt sole vel igne curetur, vel aqua feruenti, si simul misceantur in vasculo: oleum tamen omne fictilibus non æreis aut ruptis ahenis esse seruandum. Rancori quoque medetur immersum anisum. Non rancescet oleum, in quo prius anisum maduerit. Munda sint semper olei receptacula, ne novos sapores, veteri rancore marcida corrumpant. Si fuerit odoris horrendi, præcipit idem author, virides oleas sine ossibus tundi, & in vasa per solis calorem mitti: si baccæ defuerint, caules tenerrimos oleæ similiter esse tundendos. Nonnulli vtraque permiscent, adiecto etiam sale, sed omnia intra linteum clausa suspendunt, atq; ita in vas olei demittunt, postea tribus diebus exactis auferunt, & agitant, vbi conquieuit, in alia vasa transferunt. Quidam mittunt vetustum laterem torrefactum. Plerique panes hordeaceos breuiter friatos, & raro linteolo inuolutos, mergunt, & novos subinde permutant: vbi hoc bis aut tertio fecerūt, salis callos vel micas mittunt, & in alia vasa translatum, paucos dies subsidere patiuntur. Alij fertulam campanam oleo delibutam, interdiu noctūq; macerant. Quod si aliquod animal forte deciderit, & oleum putri nidore vitiauerit, iubent Græci coriandri manipulum in olei vase suspendi, atque ita paucis diebus manere: si nihil de nidore decusserit, mutandum est coriandrum, donec superetur hoc vitium. sed maximè proderit post senos dies in vasa munda decapulare, melius si acetum antè vexerunt. Quidam fœni græci semen siccum tritūque permiscent, vel incensos oleaginos carbones in ipso oleo frequenter extinguunt. Si acerbus odor fuerit, vñ recrementum quæ Græci gigarta vocant, præcipiunt tusa, & in massam redacta mersari. Si oleum turbulentia vexet, Tarentinus suadet in fideliā oris ampli coniectum oleum inferuescere, tenuissimūque salem frictum inspergi, & vbi substiterit, spurcum oleum elutriari. Pellucidum effeceris oleum, si corticem & ramulos oleaginos cum sale detritos & linteo conclusos, in vase suspendas. Oleum libur-

nico simile fieri afferunt Græci, si in viridi oleo vel aliàs optimo, inulam siccam, & lauri folia, & cyperum, omnia simul tusa, & subtiliter creta, permisceas cum salibus torrefactis ac tritis, & diu oleo iniecta perturbes, dein tribus aut aliquanto amplius decursis diebus, cum quieverit, vtaris. hoc & istrianum & liburnicum nominatur. Diophanes odorati olei faciendi rationē ita docuit, vt musti sextarios octo cum duobus olei, & bonam iris tusæ portionē, linteo conuolutam misceant in vase, & exactis decem diebus excolatum recondant. hoc autē mulieribus potu gratissimum. Damegeron oleum Hispaniēsi simile conficiebat, hac ratione, Oleo syncero & omni amurcæ spurcicia repurgato, vbi efferbuisse, triplū aquæ quàm feruidissimæ, & exiguū salem in farinam detritum confundebat, & tantisper conturbans agitabat, dum concorporari & in vnum coire perciperet: tum spatio quodam conuiescere patiebatur, donec iniecta aqua amurcæ subsideret, dein existens oleū concha deplebat, rursus cum aqua tepente mouebat, & vbi pacata ea secernebantur, iterum emergens syncerum eximebat, postremò succum recentium oleæ foliorum commiscebat, vt acrimoniam quandam & amarulentiam oleum contraheret, & post triduū vbi constitisset, ad vsus deprobebat: aliqui post diē vtebantur. Alij in pilam eodē succo prælitam oleum de fundebant, & cū vocaret necessitas, Hispani vice in vsus veniebat. Sed iam reddenda est medicinæ ratio. Oliuarū liquor oleum est, cui natura tepefacere corpus, & contra algores munire, eidē feruores capitis refrigerare, quod mirari possis, quàm multis polleat remedijs, vel per se, vel cum alijs mistum, neminē enumerare posse existimo, quādo & à vino nullus pretiosior succus. omni oleo molitur: corpus, vigorem, ac robur accipit. Democritus (vt Diophanes tradit) interrogatus, qua ratione homines inoffensa valetudine degerent, ac vigorem illum animi custodirēt, respondisse fertur. Si externa corporis oleo, interna melle linirentur. Calfacit: ventrē emollit: aluum mouet, lenitq;. Idem à perfrictionibus corpus vindicat, ipsūmq; gerēdis rebus habilis ac promptius efficit. Coniunctū idem medicamētis exulcerantibus, acrimoniam eorū domat: venena omnia cohibet hebetatq; crebro potū, redditūmq; vomitionibus. Laudatissimū præsertim contra cerussam, & gypsum ex aqua malsa, aut ficorum siccarum decocto potum: item contra meconium, cantharides, buprestimq;, salamandras, pityocampas. Soluit aluum heminæ mensura, cum succo ptisanæ pari portione, vel cum aqua. Lassitudinum perfrictionūmq; refectio est. Tormina calidum potum cyathis sex magisq; ruta simul incocta pellit, item ventris animalia. Vtilissimè subter in aluum datur ileosis, quos tenuioris intestini morbus tētare solet. Auget vlcera incrementa: emplastris vulnerarijs vtile: faciem expurgat: bubus infusum per nares, donec ructent, inflationem sedat. Vetus autem magis excalfacit corpora, magisq; discutit sudores, duritias magis diffundit. Lethargicis auxiliare, iam inclinato morbo. Oculorum claritati sublitum prodest. Capitis doloribus remedium est, itē doloribus in febris cum aqua: & si vetusti non sit occasio, decoquitur ad crassitudinem mellis, vt vetustatem repræsentet. Oleum syluestris oliuæ vehementius astringit, cuius vsus per sanitatem secundus. Rosacei vice doloribus capitis expetitur: sudores cohibet: capillorum defluuia compescit. Vlcera in capite manantia, furfures, scabiem, leprásque sanat. Tardius canitiem sentiunt, qui eo quotidie perunguntur. Eo gingiuæ laborantes vligine, salubriter imbuuntur:

inuoluta enim stylo lana intingitur oleo, & gingiuis admouetur vsq; dum albescant. Ad stabiliendā dentium mobilitatē os colluitur: eo defluxiones gingiuarū foueri vtilissimū. Oleum cādidum fit hoc genere. Albicans oleū capis, nec anniculo vetustius, tunc dimittis in fictile nouū oris ampli heminas centū, deinde in sole ponis media die, & concha refundis, & ex alto deturbas, vt assidua deuolutio ne crebróq; diuerberatu spumescat, octauo die fœnū græcum aqua calida maceratum, emollescénq; ita vt substillat ac madet, denarijs quinquaginta, in supra dictum oleū confundis, mox titionē q̄ pinguiſſimæ pinus in assulas minutatim concisæ, superindis mensura pari: at vbi dies octo confudarint, iterū concha permoues, tandēmq; si respondet desiderio, in dolium nouū vetere vino prius imbutum decapulas, substratis fertæ Campanæ coronis, vndecim drachmas pendentibus, cum pari iridis portione. q̄ si res tuo non subscribat arbitrio, in solem denuo repetis, & iugem operam impēdis, dum candorē contrahat. Omphacinū etiam ad medicinā pertinet, sanis corporibus vtilissimum. Laudatur quā maximè recens, nisi cum vetustissimum quæritur, tenue, odoratum, quódque non mordeat. hoc quidem ad vnguenta expetitur. Stomacho propter astrictoriam vim amicum probatur: gingiuas comprimit si contineatur in ore: dentes firmat, & eorum colorem custodit, magis quā aliud: sudores cohibet. Vetustius ac pinguius magis medicamentis commēdatur. Iam amurcā diximus esse saniem expressæ oliuæ, fidénq; retrimentum, veterum placita sequuti. Super omnia hanc celebravit laudibus Cato, areas terendis messibus amurca subigi, imminutisq; glebis æquatas, pauculis verberari, ne formicæ noceant, vel herbæ subnascantur, néve rimæ dehiscant. Quin etsi lutum quod amurcam combibit, parietum & tectoria & pauimenta horreorum obleuerit, neq; gurguliones neque mures frumentum attingent. Item si ablaqueatis radicibus olearum, fructus non ferentium amurcam cum aqua partes æquas mistam circumfuderis, & arbores feraces, & has quoq; meliores effeceris. Fici grossos continebunt, radicibus cum ver appetit, amurca satiatis, ita curatis nec grossuli cadent, nec scabræ fient arbores, multóque reddentur feraciores. Cōuoluulus in vinea non nascetur, si vitem circum caput & brachia perunxeris amurca, igni leui cocta, & rudicula crebro agitata, dum mellis crassitudinem retulerit, sed bituminis tertiarium, & sulphuris quartarium quā minutissimè sub dio infrientur, nam sub tecto ijs additis excandescit. Si quadrupedes & detonsæ oues totæ ea, sic vt biduum vel triduum confudent, illinantur cum aqua, vbi lupinus deferbuerit, deinde mari vel aqua falsa lauentur, neque scabræ fient, neque ricini erunt molesti. Lora etiam, coria, calceamina, axésque commodè perunguntur, atq; etiam æramenta prius extersa contra æruginem. Arcam illito fundo neque recondita vestimenta, nec ligneam supellectilem vllam, amurca perlitam, contingent tineæ, quæ coloris gratia splendidioris elegantiorisque postea detergeantur. Vasa fictilia, in queis ficum aridam libeat asseruare, item dolia olearia cadíque imbuuntur, ne bibant oleum. Virgas myrteas cum baccis, item ramulos ficulneos cum folijs, immissos amurcæ seruabis. Boues qui fastidiunt cibum, magis cupidè appetent si pabulum quod dabis amurca conspergas: ita curati & corpore valebunt, & si quis suberit morbus, abigetur. Ligna macerata amurca nullo fumi tædio ardebunt. Iā reddēda est quoq; medicinæ ratio. Gingiuis & oris vlceribus, dentiū firmitati

efficacissimè subuenit: item ignibus sacris infusa, & ijs quæ serpunt, pernionibus. Nigræ oliuæ amurca vtilior, item infantibus fouendis. Albæ verò mulierū vuluæ in lana admouetur. multo autem omnis amurca inueterata efficacior. exulcerationibus vuluæ, virilitatis, & sedis infunditur. Si verò decoquatur ad mellis crassitudinem, carie vitiatos dentes extrahit. iumentorum scabiem cum decocto lupini & chamæleonte herba, illitu sanat. cruda & recenti, podagras & articulares morbos calida foueri vtilissimū. decocta in cupreo vase ad mellis crassitudinem, longè maiorem astringendi nanciscitur facultatem. Vfus eius cum aceto aut vino vetere, aut mulso, vt quæque causa exigat, in curatione oris, dētium, aurium, vlcera manantium, genitalium, rimarum sedis. Vulneribus in linteolis imponitur, luxatis in lana. Ingens hinc vsus inueterato medicamēto, tale enim fistulas sanat. Illinitur podagris incipientibus. Illita in corio & imposita reprimat hydropicorum tumores. ijs omnibus cōfert quibus lycium, eosdēmq; præbet effectus.

☉ *Olea Aethiopica. Oleagnus. Opulus. Ornus. Oxya.* Cap. C V.

Achryma quæ ex arbore distillat Aethiopicæ oleæ, quadam tenus scāmonio similis est, rufiuscula, stillicidijsq; minutis māmosa, mordaci gustu. Damnatur gummis aspectu, & ammoniaci similitudine nigricans, gustatu iners, nec linguā vellicās. eandem guttam nostrates fundunt oleæ, etiam in oleastro quærendā. hebetiores oculos illitu clarificat, cicatrices in ijs & albugines exterit, vrinā molitur, menses ciet, dentiū dolores cauernis impressa efficaciter illinit, ad scribitur venenis, enectos partus vtero extrahit, impetigines leprāsque tollit. Oleagnos seu elæagnos Theophrasto, frutex est aquatilis amerinæ folio, sed molli, lanuginoso, flore populi albæ, verū minore, fructu nullo. Nasctur plurima super insulas fluitantes. Natura ei quæ & vitici, cuius etiam species videri potest. quare folio drachmę pōdere pota, febres discutiūt: medentur aquæ inter cutem fusæ, lienosis, moribus venenatis: lactis augent vbertatē: vrinās mouent & menses, alioqui caput tentant vini modo. Capitis dolores decoctum folij sedat, vuluas corrigit infessu, vel appositu. lassitudinem intertriginēque scipio ex ea manu gestatus amolitur. Opulus corno similis arbor, arbuto gallico faciundo idonea, *obierus* vel *opierus* apud nos ruri dicitur. vltimi proceritate adolefcit, caudice recto, enodi, rarioribus ramis brachiato, frondibus ferè vitigineis, baccis racematim dependentibus, prima pubertate viridibus, à maturitate puniceis. Vitem opulus alit, verum quoniam frondem non habet idoneam, à plerisq; repudiatur. Ieiunū solum horret: quare si aspera & siticulosa loca arboribus obferenda erunt, opulus non admodum idonea. Si arbutum ex ea vitibus quis constituere volet, ante annum quàm deponat arborē, scrobes faciat quatuor pedum quoquouerfus: deinde circa Calendas Martias, in eandem scrobē opulum & vltimum infigat, vt si opulus defecerit, vltimus locum obtineat: si autem vtraq; vixerit, altera eximatur, & alio loco pangatur. Arbustiū viti quàm optimè opulus maritatur. Quas medicinæ facultates repræsentat, nondum quæretī licuit offendisse. Ornus gallicū nomen non inuenit, quod miror, cum satis frequens reperitur, vulgo tantū *fresnæ campestris* voce cognita. arbor satis procera, caudice tereti, læui cortice, spisso, ramulis vtrinq; pinnatis, folio fraxini, paulo profundioribus crenis per ambitū serrato, bacculis racematim coactis, ab adolescentia ru-

bescentibus, secundum maturitatem ex purpura nigricantibus, sapore ex acido in amarum degenerante, mespilaceo quasi concretu, multo graciliore. Habitu reliquo & effigie tota, fraxinum æmulatur. quare Lucio Columellæ ornus sylvestres fraxini sunt, folijs latioribus quàm cæteræ fraxini, nec deteriorẽ frondem quàm vlni præstant. Capræ autem & oues libentius etiã hanc frondem appetunt. Asperis & sitientibus locis gaudet. montes eadem amat. in plana etiam descendit, vt viti quoq; indissolubili cõnubio copuletur, & arbutiuam suo fulciat adminiculo. Folia ex vino bibuntur ad iocineris & laterum dolores. aquæ subter cutem tumores reprimuntur. Corpus obesum leuant onere, id sensim ad maciem reducẽdo, si cum vino terantur ad virium portionem, ita vt puero quinq; folia tribus cyathis dentur, robustioribus septem, quinq; vini cyathis. Scobs eius & ramenta perniciosa traduntur, proinde vitanda. Vide quantũ hallucinantur, qui oxyam Græcis, nostris scissimam, ornus esse contendunt. quorum sententiæ nequaquam accedo, quũ oxya abietis aspectu consurgat, erecta, læuis, enodis, proceritate crassitudinẽq; illi ferè æqualis, cortice glabro, materie colorata, robusta, neruosa, folio crasso, bifido, aculeato. Fructus in ea pendet glande in calyce echinata, placida tamen nec hispida, vt castaneæ, nihilominus illi similis dulcedine, atque succo. Quæ in montibus nascitur, materiã habet cãdidam, ad multa vtilem, quippe ad carpenta, subsellia, mēsas, lectos, & nauigia: campestris nigricat, ad hæc inutilior. Non minori in errore versantur qui roboris speciem esse velint, quæ sterilis sit, quorum error satis à Lucio Columella refellitur, qui ornos sylvestres esse fraxinos prodat, folijs paulo latioribus quàm cæteræ fraxini. nanque nulla non nota discordare cognoscuntur. Quis videat ornus abietis facie, nec crassitudine nec proceritate ei cedentem? quis aculeatum folium & glandosam frugem in calyce echinato tribuat? Porrò satis superque folium insignibus crenulis sinuatũ, errorem explodit. Cæterum nec calycibus acinos claudit ornus, rarioribus vuis contenta. Oxyæ folia constringunt. ijs tritis & impositis, vulnera vix credibili celeritate glutinantur. Corticis materie decoctum propinatur coeliacis, dysentericis, & sanguinem reiicientibus. Idem in pessa foeminarum abundantiam sistit. efficacius habetur, quod sub cortice trunci cartilaginosum inuenitur, itẽ quod sub calyce exteriori glandis, fœtus carnem cingit. Glans intrita cacoëthica sanat vlcera. Huius decoctum cum bubulo lacte toxicis aduersatur, serpentiũque plagis. datur & ex vino dysentericis. Glãdis cibus difficillime coquitur, ventrẽ astringens, & caput tentans.

¶ *Oxyacantha. Oxyphœnix.*

Cap. CVI.

OXyacantha, id est acuta spina, alijs pyxanthos, alijs pyrina nominatur. arbor est similis pyro sylvestri, sed minor magisq; spinosa. fructum gerit myrti similitudine, grandiusculum, rubentẽ, fractu facilem, & intus nucleum, radice alta, multis diuisuris præscissa. Nostræ officinæ Mauritanos imitatæ, *berberim* hodie vocant: rura nostra, quòd huius acinis vinum exprimitur, *spiniuinetam* appellant, aliqui *acrem spinum*. Nanq; arbuscula est pyri sylvestris aspectu, sed humilior, ramis ex interuallo senticosis, folio lentè per ambitũ aculeato, acinis rubentibus, in pediculo iuxta & racemo pendulis, gustu acido & subaustero, duobus intus granis, radice numerosa. Germinat incunte vere, ab occa-

su Vergiliarum fructifera, flore coronario, fructu cedri atque myrti, Olympo
 monte plurima, syluestrium arborum frondis æternæ. E baccis vinum exprimi-
 tur eodem fere vfu, quo vinū ex malo punico. Conduntur item acini vel melle
 vel saccharo ad restringendam sitim, depellendamque febricitantium malaciam,
 5 quorum morosum nimis palatum cibum ferè quencunque respuit. elanguescens
 appetētia grato huius acore recreatur. Longè diuersum genus est, quod *grossulam*
 fert vulgo dictam, veteribus silentio præteritam, aculeato frutice, folio apij ferè,
 acinis candidis, & in maturitate dulcibus, in hortis frequens. Bacca huius non in-
 grata displicet acerbitate, magnamque à palato inuit gratiam, quare iuribus in-
 10 natat. Vere cum primū pubet, in vsum venit eadem acerbæ vuæ loco. Vul-
 gus nostrum quòd *grossulorum* quandam referat imaginem, & *grossulariam* fru-
 ticem, & fructum *grossulam* nominat. Bacca maturitate dulcescit in cibum, qui
 tamen lautioribus mensis repudietur, grauidis mulieribus satis expetitus. Et alter
 frutex nullis planè spinis horridus, sed topiarius magis, & vitis pusillæ folio, ru-
 15 bentis vuæ fertilis, sapore subacido. sepit elegāter hortorum puluinos & areas.
 acini racematim congesti pendent, quibus fastidium cibi discutitur, & deperdi-
 ta punici more mali adpetentia reuocatur. nostris hodie *rubra grossula* vel *transma-
 rina* vulgò vocitatur. Sūt qui putēt à Mauritanis *ribem* appellari. Acini sapore pla-
 cent acido. refrigerant æstuantem stomachum: sitim restinguūt, quæ cum alios,
 20 tum maximè febricitantes excruciet: cibi fastidia discutunt, & appetentiam in-
 uitant: fœdam ventris proluuiem cohibent: vomitiones sistunt: stomachum fir-
 mant: profluuiū alui retinēt, quod flaua bilis attulerit: erosiones & eiusdem velli-
 catus tollit: sanguinis feruorē demulcet, & bilis acrimoniam domat. Salgama-
 rij saccharo vel melle cōdiunt ad anni totius vsum. Sed iam ad acutæ spinæ me-
 25 dicinas redeamus. Baccæ huius potu vel cibo aluum sistunt: abundantiam fœmi-
 narum retinent: dysentericis, cœliacis, ac cholericis profunt. Radix trita & illita
 extrahit infixæ corpori, sagittas, spicula, hastulas. Vtilissima & luxatis, tumori-
 búsque. Authores sunt ventre prægnantis leni ictu ter percusso, aut peruncto ra-
 dice abortū contrahi. Oxyphœnix syluestris est palma, fronde saligna virens,
 30 pomo pruni, osse duro, nucleo intus exili, carne foris copiosa, colore è nigro in
 luteū languescente. Recentioribus huius fructus non parum existimantur, quos
 à saporis acrimonia oxyphœnica nominarunt, argentis naturæ cōtra flauā bilem
 pollentis. Non inuenio è veteribus qui de hoc genere quicquam memoriæ pro-
 diderit. Officinæ à barbaris edoctæ *thamarindos* appellare didicerunt. Oxyphœ-
 35 nicum probatur recens, quàm acerrimū sapore, non exuctum vetustate nec ta-
 bem aut marcorem sentiens. Plurimum in India nascitur, vnde ad nos frequens
 mittitur: hinc thamarindum sua lingua, quasi palmulam Indicam, negotiatores
 nominant. Oxyphœnicum, vt Actuarius scriptum reliquit, abscessu secundo re-
 frigerat & humectat. flauæ bilis impetus nihil æque domat, præter rheon Indicū.
 40 Arquatis auxiliatur: sitim restinguūt: doloribus capitis remedio est: noxios humo-
 res qui in ventre coierunt deicit: appetentiam inuitat: cibi fastidium abigit: nau-
 seas & vomitiones (vt est Oribasius author) sedat: syderationem, insaniam, ac
 furorem mulcet. Tertianis febribus cum rheo & casia nigra prorsus eliberat. ar-
 dentibus quoque ac incandescentibus medetur. laterum inflammationibus cum
 45 mentha & apio potum auxiliatur. dandi modus vncia. Animi nubila, vt Porphy-

rius scribit, serenat: tristitiam discutit: noxas omnes à calore conceptas mitigat: destillationes quas bilis feruor excitarit, infrenat.

¶ Pala, Paliurus.

Cap. CVII.



Ala arbor est Indica, ostentose magnitudinis, folio longitudine trium cubitorum, duum latitudine, nec absimili pennis struthio camelorum, qui conos bellicos adornat. Pomum cui nomen ariene à cortice exit, Indicæ ficus specie, cæterum longè maius, & omnino suauius, vt quo Gymnosophistæ viuant, vno quater nos satiante. Paliurus Dioscoridi frutex est vulgaris notitiæ, aculeis frequens, durusque. semen ei pingue, fuliginosum. Theophrasto, vt in fruticum genere collocatur, sic in magnitudinem arboris adsurgit, cum maius capessit incrementum. Germinat ineunte vere, & ab occasu Vergiliarum fructificat. Folia quum in extremo tum lateribus sinuata confidunt, quæ, vt rhamno, sunt excidua. Fert in siliquis terna aut quaterna semina, lentorem quendam emittentia, vt lini semen, quibus contusis medici contra tussim vtantur. Amat nasci quæ admodum & rubus, aridis, nec minus quoque dilutis. Sentit paliurus nonnulla nationum discrimina. Cyrenis laudatissima, vbi loton suam postponunt paliuro. Fruticosior hæc, folio huic nostrati similis, sed fructu diuerso, vt qui non latus, sed rotundus ruberque sit, nucleo qui non simul mandatur, acinorum punici modo. magnitudo ei quæ fructibus cedri, paulo amplior, iucundus per se, atque suauior etiam vino affusus: quin & vina succo suo commendans. Paliurus ramis spinosa, veluti rubus, plurima in Africa: quippe apud Hesperides hac ad vrendum vtuntur. Apud nos paucis antea annis frutex inuenitur, qui etiam arborefcere possit, folio per ambitum laciniatim sinuato, rotundo, molli, ramis spini, quem album cognominant, modo aculeatis, baccis rotundis, rubris, myrteis, longè maioribus, gustu iucundo, qui & vinum suauitate sua commendet. Condiuntur & grato, ori cibo. Cœpit mea memoria propagari, insita quantum reor, albo spino. Qui colunt in hortis velut alienigenam, & aduenam arborem, myrobalanum appellant: hanc esse putauerim nullis ferè notis reclamantibus, paliurum Africanam, eam præfertim quæ non siliquetur. Agathocles paliurum ab Alexandrinis conarum vocari tradit, enatam primum scribès icto fulmine sepulchro, quam repræsentat, vltimi atque pinus amplitudine, ramis frequentibus, prælongis, subaculeatisque, folio viridi, rotundo, molli, biferam. nam vere & autumno fructum parit, oliuæ phauliæ vocatæ magnitudine, cui & nucleo & carne similis sit, sapore vincis. Crudus virensque manditur: vbi exoleuit, farinam ex eo fieri, atque ita esitari, nec subactâ, nec conspersam aqua. Ichthyophagi piscium carnes, semine paliuri conditas inueterant. Troglodytæ succo paliuri pro vino vtuntur vulgò: nam proceres florem quendam exprimunt, cuius liquor nostrati musto similis traditur. Plutarchus est author in Cocygio monte paliurum arborem haberi, cui si vel bestia, vel auis, aut aliud animal volucre sidat velut inuiscatum coherabit, præter cuculum, huic enim soli parcit. & ne scripto derogetur fides Ctesiphonta citat in testem, libro arboribus dicato. De paliuro apud varias nationes discrepant historiæ, quæ facie multo dissimili, vt apud se nascitur, ostendant. Inter omnes tamen cõuenit, eam viciis hortorum sepibus dicatam, quod suis minacibus aculeis noxiu pecus abigat.

Maro totius naturæ peritissimus, acutis spinis paliurum surgere tradit. quod & Columella libello, quem de cultu hortorum ædedit, testatur, non improbās humum quæ,

Terga rubi spinisq; ferat paliuron acutis.

5 Cōmendatq; spinarū maxima semina rubi, paliuríq;: loco quē sepire destinaveris circūvallato duobus fulcis, illita cū erui farina funibus nauticis aut quibuscunque alijs restibus obserenda, vt viuā sepē excitet, qua hortū ab incurfu hominū pecu-
dumq; munimus. De fructu parū inter scriptores constitit. Dioscorides pingue semen ei fuliginosūmq; reddidit, quasi velit oleosam ferè naturā, & fuliginis mo-
10 do digitis friabilē, vel quodā pingui fuliginis non atræ concretu constare. Theo-
phrastus semina lentorē quendam pingue præferentia siliquis conclusit, ita vt simili veri coniectura possit colligi, Dioscoridi id esse, quod hortos viua sepe cin-
git, *aubepinum*, hoc est album spinū Galli nominant, fruticē aculeatum, folio minu-
to & fimbriato, flore candido, odoris suauissimi, baccis rubentibus, racematim
15 coeuntibus, viginosis, duro intus ossiculo, quo deturbādis calculis & ciundē vri-
nē vtūtur, has vulgus *senellas* vocat. Theophrasto autē genus quoddā esse putaue-
rim Aegyptiæ spinæ, quæ instar arboris iusurgit frutice spinoso, semine in sili-
quis cōcluso, è quo acaciā exprimūt. Non desunt qui id esse arbitrētur, quod *gro-*
sulium, vel *grossularem* vulgus appellat. nā & senticosi est generis ramulis vietis,
20 & recto spinarū mucrone horridis, flore ex herbido candicante, folio ferè rotun-
do, rudem apij effigiē exprimente, per ambitum laciniato, sparsis per ramos tra-
lucidis granosisq; acinis, ad ciborum condimenta expetitis, folliculari specie, in
orbem ferè verticillata. Quorum opinioni non ausim accedere, cū etsi nonnulla
cōsentire deliniationi putētur, plurima tamen reclamare etiā constat. Est & apud
25 nos fruticis genus in montibus & asperis nascens, quo & sepes tam viuas q̄ stru-
ctiles etiam, rustici stipant. is vice foliorū spinarū armatur vallo, flore luteo, sili-
qua breui, in qua pauca semina lata clauduntur. rura nostra *iuncum marinum*, vel
potius *iomarinum* appellant. huic aliquantum adstipulari deliniatio videtur, an ta-
men paliurus sit non ausim asserere, q̄ ei spina pro folio sit. Paliuri semen Afri-
30 *zuram* vocant, contra scorpiones efficacissimum, item calculosis, & tussi. venena
serpētium expugnat. Folia astrictoriam vim habēt. eorum decocto sistitur aluus,
& vrina pellitur. serpentibus eadem aduersantur. Contusa addito sale articulorū
morbis imponuntur. Radix trita & illita discutit panos, collectiones, vomicas.
trahit vrinas pota.

¶ Palma.

Cap. CVIII.

35 **P**alma quæ Græcis phœnix, latino Gallis nomine cognita est, arbor te-
reti ac procero quidem trunco, verūm densis gradatisq; corticum pol-
licibus, salebroso potius q̄ scabro, quibus vt orbibus, facilem se ad scan-
dendum Orientis populis præbet, ramos à cacumine tantū spargit, folio arundi-
40 naceo, duplici, satis ad gladioli frōdem accedente, nisi minus esset & tenuius, vn-
de spathen Græci nominant, fructu (quē ijdem dactylos, latini palmulas, Franci
datas, & *ficus regias* dicūt) aliàs candido, aliàs nigro, aliàs herbaceo, aliàs purpureo,
oblongo, carnosio, ramis suis racematim dependentē. Hæc arbor in Gallia, Ita-
liāq; sterilis est, in Bethicæ maritimis quidem frugifera, sed immiti pomo, vt in

Africa dulci, sed euanido, in Oriente ex ijs vina, gētiūmq; aliquibus panis, pluribus verò etiam quadrupedum cibus. Hanc Gallia quibusdam in locis ferit, sed nec in Italia sponte gignitur, nec alibi quàm in calidis. fructuaria vero nusquam nisi in feruidis. Prouenit leui fabulosaq; terra, plurimum & nitrosa. Gaudet & riguis, totòq; anno bibere cum amet, anno sitienti squalidòque lætior est. quapropter etiam à fimo lædi quidam putant. Palmæ teneritas processu lignescit. Vita in sicco æquè vt in humore. Salsis fabulosiq; lætatur adeò, vt in Syria Cœle, tribus duntaxat locis vbi arenæ sint, exiliat, alibi computrescit, etiam si recètes earum palmulæ suaves sunt gustu, nouellæ fructū nullo intus ligno ædunt, postea cum ligno, paucos ferè palma ramos habet, læui cortice dum adolescit, scabrior multo crassiorq; cū senet, medulla omnino nulla. neruos tamen non per corpus totū expandit, neq; prolixos, neq; positu eodē extensos, sed multifariā cunctos porrigit, materie tractatu facili, & cum dolatur & ferratur, molliore & lenitiore quàm suberis, suber siquidem rigidius est: quare simulacra è palmis condere cœperunt, repudiata spretaque suberis materie, vt incommoda. cremata fumo infestat, de quo & Cheremonis poetæ carmen Theophrastus subtexit, Palmas ad venas vsq; & radice tenuis esse fumosas dicentis. Mari tantum flores, feminæ statim fructus è semine suo nascitur, præterquam Babylone, vbi & virga feritur, inibi que fructum copiosissimum largitur. In Græcia ne fructum quidem maturat, apudque nonnullos nec fructum etiam vllum ostendit. Folia, fructum, germina, propemodū cacumine gestat. quippe quū vis tota genitalis in eius vertice resideat. quare decacuminata commoritur, nec tanquam esset adusta regenerat. In India palmas esse tradunt quibus folia non decidant. Parte Africæ, qua nunquam pluit, in magnam proceritatem adolere, feracisq; mirū in modum esse volunt. Ex vrbis ea perpetuo viret, ramos perpaucos promens, succo dulci, ligno neruoso. Palmæ trāslatu gaudent, quanq̄ in Græcia loci mutatione sterilefcant. Deli longæua proditur. In mari nonnunquam viuit, cum terrestri magis constet natura: in Tylo quoq; nascitur in insula. Salsum ab ijs, vt Theophrastus est author, solum diligitur, ergò vbi non est tale, salem aspergunt, non radicibus sed paulo longius amandando. amant crebram rigationē. De fimo, vt idem tradit, inter scriptores non constitit. quidam ab eo prorsus abhorrere statuūt, easq; quouis modo delectari negant. Alij vsum fimi concedunt, inde consequi maius incrementum adfirmant. Seruntur autem palmæ trunco duorū cubitorum longitudine, à cerebro ipso arboris viridi fissuris diuiso atq; defosso, & ab radice aut saxe vitalis est satus, & ramorū tenerrimis. In Assyria quoq; arbor in solo humido strata tota radicatur, nō in arborē, sed frutices. Anniculas transferunt, & iterum bimas, gaudent enim mutatione sedis, verna alibi, in Assyria circa Canis ortum. nec ferro attingunt ibi nouellas, sed religant comas, vt in altitudinē exeant, nec virgæ cōtorqueantur. robustas deputant crassitudinis gratia, semipedales ramorū relinquentes truncos, qui decisi alibi necant matrē. Quædam in Syria in binos se diuidunt truncos, in Creta ternos, quædam in quinos. Ferunt statim in trimatu in Cypro, Syria, Aegypto quadrimē. aliæ quinquēnes: alię altitudine hominis, nullo intus pomi ligno quandiu sunt nouellæ, ob id spadonū accepto nomine. Palmarū genera plurima. prima fruticē non excedūt, sterile & hunc, & aliubi fertile tradunt, breuiq; ramorū orbe foliosum. Tectorij vicē hæc parietibus pleriq;

in locis præstat contra aspergines. Sunt è procerioribus syluæ, arbore ex ipsa, fo-
 liorum aculeo circa totas peccinatim fruticæte, quas syluestres intelligi necessum
 est, inserta tamen libidine vt mitioribus se misceant. Reliquæ teretes atq; proce-
 ræ, corticum orbibus gradatim scâsilibus, coma omnis in cæcumine: & pomû est
 5 nō inter folia, vt in cæteris, sed suos inter ramos palmitibus racemosum. Vtraq;
 natura vuæ, atq; pomi. Folia cultrato mucrone lateribus in se bifidatis, bellas pri-
 mùm monstraure gēmas, nunc ad funes vitiliûmq; nexus & capitum leuia v m-
 bracula fundûtur. Alio etiã genere continētur humiles & pumilæ palmæ. Nanq;
 excepto cerebro viuunt, & ab radicibus succisæ repullulāt. Fructu quoq; & folijs
 10 distant. sunt enim lato mollique folio, ob id sportulas, tegetes, & capitibus vmbel-
 las eo cōtexunt. Longè diuersa ab ijs pelagica, fruticum generis, in alto nascens,
 fronde corrosa, breui caudice, virgis rectis, parte ima non in orbem sed in latitu-
 dinem sigillatim ambientibus, continenti serie, aliquando tamen interrupta. Co-
 lor toti plantæ puniceus, furculis eius natura foliorum sonchi Acanaceorû. Om-
 15 nibus ferè cùm arboribus tum herbis diligentissimi quiq; naturæ vtrumq; sexum
 assignarūt, nullis tamen quàm palmis manifestius elucet. Mas in palmitate floret,
 femina citra florem germinat, illicq; fructum oblongû ostendit. Vtrisque pri-
 ma nascitur pomi caro, postea lignû intus, hoc est semen eius. argumentû, quòd
 paruæ sine hoc, reperiuntur in palmitate. Est autem oblongum, non vt oliuis orbi-
 20 culatum, præterea cæsum à dorso puluinato, & in aluo media fissura, plerisq; v m-
 bilicatû, vnde primùm spargitur radix. Seritur item pronum, & bina iuxta com-
 posita semina, supérque totidem, omnia tamen prona. Germen enim, vt idem
 Theophrastus ait, non de supinis cauisque partibus mittunt, sed è supernis. Plu-
 ra simul feri debēt, quoniã infirma singulis plantatio est. Quaterna melius coale-
 25 scunt: siquidem horû radices amplexu mutuo connexæ, in vnum ex cunctis cau-
 dicæ, primo ortu promiscuo coeunt. Ceterû nō est silentio prætermittendû quod
 Leontinus veterû testimonio fretus posteritatis memoriæ mādauit, tradens pal-
 mas vehementi se prosequi amore, ita vt altera alteram depereat, adeò est Vene-
 ris intellectus: nec prius stimulante desiderio cupiditatibusq; leuabitur, q̄ ipsam
 30 adamans mas consoletur. Quandoquidem videre licet pronā suis comis incum-
 bere, impatientemq; suû grauari stabilimentum: quin & quasi viduā sterile scere.
 quæ res agricolam non latet. Sed cuius amore deflagret, aut in quē maritandi cu-
 pidine sollicitetur, incōpertum habet. Quapropter cōplures palmas inibi circiter
 oblitæ digitis contrectas, ac blandè demulcēs, reuersus ad hanc denuo quæ cor-
 35 ripitur amore, & manibus hoc dato tanquã osculo contingit, tum quadatenus
 veluti refricato huiuscemodi desiderio denunciatis, blandioribus comis perinde
 quasi manibus in eum nutat cuius cupidinis tabe peribat. Hoc velut oculorum
 gestu amorem confessa, seseque huius studio cōstimulata, quasi radicibus abijcit.
 Huius vesaniæ remedia sunt, si subinde manus ei admoliatur agricola. Quæ ma-
 40 rem cuius inani amore capiebatur, attigerint, multo magis insanus amor discu-
 tietur. Si maris flores truncis erutos idem amasiæ capiti circumponat, hæc ma-
 riti ornamento collustrata fructum dabit, hocq; pignore amoris exhilarata fœ-
 cundabitur. Ratio serendarum palmarum ita ab eodem Leontino traditur, In ex-
 cauatis binûm cubitorum altitudine & totidem latitudine scrobibus, & aggere
 45 fimo quolibet præter caprillum saginato, sesquipedem in altum completis, ossa

seu nuclei palmularum humantur, ea tamen conditione, vt eorum mucrones in
 Orientē spectent, dein terra stercore satiata post respersum salem adobruūtur.
 Quotidie dum germinent imbre rigantur. Sunt qui plantā transferant, alij verna
 culo situ contenti sic inolescere patiuntur. Cæterum cum salsa humo gaudeant,
 quotannis ablaqueare conuenit, & salem iniicere, sic celeriter in magnā procerita
 tē exhibunt. Lætiores vberiorēsq; euadent, fæce vini veteris epota. Palmarum se
 mina non illico terræ credi debent, sed fictilium fundo mandari, & vbi compre
 henderint, transferri. Nobiliorem creari fructū Democritus promittit, si inutiles
 vaginas thecāsve, quas nonnulli vocant helices florentes, vbi resiccatae fuerint,
 palmarū caudicibus, quēadmodum caprificos ficis, adpédant. Vberiores & proce
 riores adolescere pollicetur Didymus, colata vini veteris fæce & radicibus offu
 sa: iuuari quoque consperso itidem sale. Addit & candidos & ad implexus tegetū
 sportularūque aptiores reddi spadices, si à termitibus euulsi virides, quaternis
 diebus sub tegmine condantur, postea sinamus quatrimum imbre rorido per
 fundi, deinde solibus dum inalbescant inarescere. Simulacra ex hac veteribus fa
 ctitari certum est. Palma, vt Aristoteles & Theophrastus tradiderunt, non cedit
 oneri qualibet ingenti, nec intra flectitur pandaturve, sed contra pondus resur
 git. Quapropter, vt inquit Plutarchus, in certaminibus signum est victorię, quā
 do huiusmodi ligni ingeniū est, vt prementibus vrgentibusq; non cedat, sed con
 tra pondus renitens fornicetur. Hinc victoria Græcis *βίχη* quasi *μὴ εἶκοι*, id est non
 cedens, dicitur. Ideo, vt inquit Pausanias, certaminibus coronarijs non aliud fe
 rē præmium dabatur quàm palma, q̄ Iasios primus in equo fessor, & dextra ma
 nu termitē gerens palmæ, Olympiæ vicisset. Quauis Græcia quatuor tantum,
 oleastro, pinu, lauro, & apio coronare victores maluerit. Olympiæ oleastro, Del
 phis lauro, in Isthmo pinu, Nemææ apio, reliqui omnes ferē certatores corona
 è palmis contexta donabātur: sed dextris gestata, victoriæ erat indicium. Hinc,
 vt idem refert, ductū, quod è Creta reuectus Theseus, cum in Delo cum Apol
 line certamē iniisset, palmam deportauit: inde tracta primū origine, vt in certa
 minibus victores palma coronarētur. Et, vt Plutarchus est author, primus in De
 lo Theseus dimicans, è sacra palma ramū auulsit, à qua, vt inquit, vulsione spa
 dix is nominatus est. Etenim ipsos cum fructu termites baia & spadices Græci,
 præsertim Dorici, nomināt. A quo & color equino generi spadix, aut spadiceus
 & phœniceus, hoc est palmeus, vnde vulgò *baius*: alioqui phœniceus propriè is
 est color, qui vermiculus & puniceus vocatur. Partes vnde fructus depédēt, spa
 thæ nominantur. Xenophon in secundo Anabaseos scriptum reliquit, è palmis
 copiosam frugem, vinum & obsonium trahi: palmas græcanicis non dissimiles
 famulis obijci, delectas & corporis magnitudine & pulchritudine spectabiles, he
 ris offerri. Quæ conspicuo succini colore micant, sicca pro bellarijs exhibentur.
 vinum ex ijs suaue quidem, sed caput tentans. Herodotus iuxta Babylonē vbiq;
 agris prouenire tradit, fœminas quę preunes nominātur fructiferas esse, frugem,
 vinum, mel fundere: mascularum fructus palmuliferis adalligari, vt seriorē bala
 num maturēt nec profluat. Ferūt eorum mares, quēadmodum caprifici, culices.
 Cacumini palmarum, vt Theophrastus est author, cerebrum inest, quod Dio
 scoridi medulla est. Cerebrum hoc comesse milites Xenophon prodit in secun
 do Anabaseos, cuius permulti & specimē & voluptatis proprietatem admirabā

tur, sed esu dolorem capitis vehementem concitabat. hoc cum eruebatur cerebrū, tota palma, vt Nicander tradit, efferebatur. Diphilus Siphnius refert palmæ cerebrum implere, & multā præbere alimoniā: grauās, difficulter in corpus distribui, siti excruciare, ventrē sistere. Palmulæ caryotē celebratur cibo, sed & succus earum vberimus est: ex quibus præcipua Orienti vina, capiti iniqua, inde pomo nomen. ex his acetum & mella fiunt & farina. Babylone nuclei pro carbone sunt, & pabulo quoq; iumētorum aqua macerati. Laudatissimæ in Iudæa, nec in tota, sed Hierecunte maximé. Quāq; & Archelaide in pretio & Phaselide & Libya de, gentis eiusdē cōuallibus. Dos his præcipua, succo pingui lactētibus, quodā vini gustu in melle prædulcibus. Tria caryotidū siue caryotarū genera. Nicolai ficciores, amplitudinis vastæ, vt quæ cubitorū quaternū longitudinē compleant, ab Augusto ita primo nominatæ, in honorē Nicolai Peripatetici philosophi, crebro eas ad illum missitatis, vt inquit Athenæus. vel, vt est author Plutarchus, Imperator Nicolaum Peripateticę familiæ philosophū amore singulari prosequetur, claris moribus, & egregia indole præditū quidē, sed strigosa corporis proceritate, rubicūdo vultu, à quo maximas pulcherrimāsq; phœnicobalanos siue palmulas nicolaos appellauit, quæ nomen adhuc retinent. Alterū genus minus speciosæ, sed sapore caryotarum, sorores, vnde nomē quo adelphides Græcis dicantur: proximam suauitatem habent, nō eandem. Tertium genus omnino liquore madidum, rumpente se pomo in ipsa parente, calcato simile, ob id pateton Græcis appellatum. Aristoteles in libro de stirpibus, eunuchos appellari scribit, quoddam genus palmulæ, quod alij enorchos vocent, quasi testiculares, ac spadonias. Sunt & margarides authore Plinio, palmæ breues, candidæ, rotūdæ, acinis quàm balanis similiores: quare à margaritis nomen accepere. In meridiano tātum orbe nascuntur, & quidem vna earum tantum arbore in Chora, vna & Syagrorum, vt Plinius adfirmat. Diuersum tamen genus ab hoc faciendum, quod palmidium audio nominari, non Sicilia modo peculiare, sed & Aegypto & Hispaniæ. In Italia quoq; nasci perhibent non procul Terracina. Sunt, inquit Plinius, cæduæ palmarum syluæ, germinantes rursus à radice succisæ, dulcis medulla earum in cacumine, quod cerebrum appellant, exemptoque viuunt, quod non aliæ, vocanturq; chamæripes à Theophrasto, folio latiore ac molli, ad vitilia vtilissimo, copiosæ in Creta, sed magis in Sicilia: nunc Romanum vulgus Siculumque, quantum audio, *ciphilionem* mercatu eius frequenti nominat: aliqui palmidium, à quadam palma spadicum similitudine. Ex quibus scopæ fiant, *margylion* Hispaniæ modo vocitāt, quæ bacculas rubētes margaritis similes ferant, quibus filo immixtis, fœminæ supplicationes precēsque suas numerant. Palmulæ Thebaides in totum arētes sunt, quæadmodū & Arabicæ, macro corpore exiles & vapore assiduo, crusta quàm cute verius obductæ, Iudaicis, vt inquit Strabo, suauiores, etiā si duriores, nec alio tractu, Aegypto tota nobiles. In ipsa quidē Aethiopia friatur hæc, tanta est siccitas, & farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autē in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotūdo, sed maiore quàm mali amplitudine, cycas vocant. Triennio maturescunt, sempérq; frutici pomū adest, subnascente alio. Hanc palmā chamæzelon vocatā à Dioscoride, hoc est pumilā. Aliud ab ea genus est quā Theophrastus chamæriphe appellat, hoc est abiectā, & repentē humi palmam, folio latiore atq; molli, ad vitilia vtilissimo, copiosam in Creta, sed

magis in Sicilia. Mirum quod traditur, in Aegypto etiam palmarum quarūdam nasci truncis. In reliquo orbe duorū generum, sed eodē cespice proueniunt, mas & foemina: sexum distingui semine quod pappon appellant. Fallit hoc imprudentes, opertum cortice multiplici, tunicis ferrugineis interuestientibus. Cortex folij in latum ex angusto pādatur & armatur aculeis, ideóq; latū & spinosum à Theophrasto dictum est. ex eius crassitudine in Aegypto charta modo tingitur, vilis ad contegendas inuoluendásq; segestrium v su merces. Ex tunicis quas inter cursare diximus, in eadem prouincia funes rudentesq; nectuntur. Caulis cæduus quotānis, alioquin adolescit crassitudine in tantū, vt arboris iustæ truncum æquet ambitu. Thebaidis fructus extemplo in cados conditur, ni ita fiat, sui ardoris animā celeriter expirat, marcescítq; non retostus furnis. Eorum plura genera. Differūt figura rotunditatis & proceritatis. differunt & colore nigriores & rubentes, nec pauciores q̄ fico traduntur colores. maximè placent candidi. Distant & magnitudine prout multi cubitum effecere. quidam sunt nō ampliores faba. Seruantur ijdemū qui nascūtur in falsis atque sabulosis, vt in Iudæa, Cyrenaica, Africa, non item in Aegypto, Cypro, Syria, Seleucia, Assyria. Quamobrē sues & reliqua animalia ex his saginātur. Vitiati aut vetusti eius pomi signū est, decidisse candidam verrucā, quæ in racemo adhæserit. Alexādri milites palmis viridibus in Gedrosis strangulati sunt. Est enim tāta musteis suauitas, vt finis mādendi nō nisi periculo fiat. Hebenus Aethiopica ferè palmarū generibus ad scribitur. Syluestris palma fructus existimantur à recentioribus, quos officinæ *tamarindos* nominant, & nonnulli à saporis acore *oxyphænicas*, algentis naturæ, contra flauam bilem pollentis. Sunt qui folia eius salicis similia describant. Cæterū recentiorum Græcorum sententiam suprā retulimus: non enim inuenio è veteribus qui de hoc genere quicquam prodiderit. Galenus palmulis principatū dedit Iudæis, & inter eas maxime cōmendat quæ in Hierecunte, quod Syriæ Palestinæ oppidū est, nascūtur, omnium dulcissimas, colore rufas aut luteas, neque amplitudine, neq; exilitate insignes. Alioqui omnes stomacho nocēt: tussim exasperant: iecur inferctū vitiant. Quod si iam viscus hoc inflāmatione vel durtia tentetur, summopere eorū cibo noxam trahit. nō dissimili obstructionis iniurię lien patet. Caput grauant, ægre coquuntur. Deterrimæ virides, cum inflationes ficuū modo pariant. Cæterum oleis vitibusq; proxima palmis nobilitas tribuitur. Inebriant recētes: capitis dolorem adferunt minus siccæ, nec quantū videtur, vtiles stomacho: tussim exasperāt. Corpus augent. Succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant agris, ad vires recreandas, sitim sedandam: in quem vsum præferēbant Thebaicas. Sanguinem quoq; excreantibus in cibo maximè. Illinuntur caryotæ stomacho, vesicæ, ventri, intestinis. cū cotoneis & cera, & croco sugillata emēdant. Nuclei palmarū cremati in fictili nouo cinere loto spodij vicē efficiunt, miscētq; collyrijs & calibephara faciunt addito nardo. lignū quibusdam osseū, limatūmq; dente cōtra fascinātes poliunt. Palma vt placet Dioscoridi, in Aegypto erūpit. stringitur crudiuscula, media ferè maturitate, myrobalani Arabicæ figura, nomē ei poma: colore viridi, odore mali cotonei. quod relinquitur solibus coquendum, si maturescat, phœnicobalanus vocatur. Natura ei acerba & astrictoria inest. Aluū & mēses sistit in vino austero. hēmorrhoidas cohibet: vulnera cōglutinat illitu. Ratio phœnicobalanis astringendi recentibus maior est q̄ siccis. Capitis dolorē adferunt:

largiore cibo inebriant: sicciores sanguinē excreatibus, stomachicis & dysentericis cibo vtilis. vesicæ tollunt vitia cū cotoneo malo, & œnanthino cerato illitæ. Caryotē fauciū medentur asperitati. Thebaicarū palmarum decoctū potu æstus ardorēsq; restinguit. vires ex aqua mulsa potum recreant. Ipsæ quoq; si edantur eisdem præbent vtilitates. fit ex his vinū ad eadem efficax. Decoctū earum in potu gargarissatūq; vehementer spissat reprimiq;. Nuclei palmarū crudo fictili cremati & vino extincti ac loto, cinere, spodij vicem efficiūt, miscētūq; in callibepharū vtilis. si non recte videātur combusti, denuo torrentur. Facultas ijs spissandi agglutinandiq;. Pustulas oculorū & staphylomata exterunt: palpebrarū defluvia addito nardo coercēt: excrescentia cū vino reprimunt vlcera, & ad cicatricē perducunt, in quē vsū præferuntur ex pumilis Aegyptiæ. Elaten Galenus tenellum palmæ germen intelligit, Dioscorides ipsum fructus integumentū. Non ignorauit hoc Secūdus cum inquit, Palmā elaten cōferre medicinæ germina, folia, corticē. Laudatur Ammoniaca maximè, tum Aegyptia, demū Syriaca, dūtaxat in locis siccentibus, pingui lachryma, quæ in vnguēta additur. Palma, vt scribit Dioscorides, quā modo elaten modo spathen appellāt, inuolucrū est fructus è palma prodeūtis, vnguento nascēs, quo spissamenti loco ad domandū oleū vnguentarij vtūtur. Præcipua odoratæ authoritas gustu astricto, pōderosæ, præclux, internū pingue continētis. vsus ei astrictorius. Siftit vlcera quæ pascūtur: laxa tos hiātēsq; cogit articulos. Trita miscetur cataplasmatibus emplastrisq; vt quæq; causa exigit. Prodest præcordijs, stomacho torpenti, iocinerū vitijs. decocto capillum denigrat crebro ablutum. Succus idem datur bibendus, renū, vesicę & viscerū malis: vuluæ ac ventris fluxiones sistit. Scabiē cum resina & cera sanat cortex eius tener, si viginti diebus apponatur. fructus quē fouet suo cōplexu, elate etiā nominatur, à quibusdam borassus, astrictoria & ipse vi vsūq; ad omnia eadem pari, sed non sic ad vnguenta quæsito. Alba caudicis medulla siue cerebrū recēs in cibo aut decocta eadem præstat. Elate siue spathe imponitur præcordijs, stomacho, iocinori, vlceribus quæ serpunt cicatrici repugnantia. Psoras cortex eius tener, cū resina & cera sanat diebus viginti. decoquitur ad testiū vitia: capillum denigrat suffitu: partus extrahit. Datur bibēdus renū vitijs, & vesicæ, & præcordiorū, capiti & neruis inimicus. Vuluæ & ventris fluxionē sistit decoctū eius. Item cinis ad tormina potus in vino albo, in vuluarum vitijs efficacissimus.

¶ Papyrus.

Cap. CIX.

Papyrus nascitur in palustribus Aegypti aut quiescentibus Nili aquis, vbi euagatæ stagnant, duo cubita non excedente gurgitum altitudine, brachiali radice obliquæ crassitudine, triangulis lateribus. decē nō amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiatū thyrsi modo cacumen includens. Semine nullo, aut vsu eius alio quàm floris ad deos coronados. In Euphrate quoq; nasci circa Babylonem intellectum est. Eundem vsū habere quem chartæ quæ præparantur ex ea, diuisæ acu in prætenues sed quàm latissimas philuras. Nascitur, vt Theophrastus narrat, papyrus non excedēte binacubita gurgitum altitudine, volari hominis robusti brachialique radice crassitudine. Obliqua hæc atq; densa nō amplius quàm cubitorum decem lōgitudinis, triangulis papyrorū lateribus, qui à terra multis partibus tollūtur, quaternis cubitis

in gracilitate fastigiati, sustinentes comã ac thyrsi modo cacumen includentes
exile, ad nihil vtile, semine nullo. Radicibus incolæ pro ligno vtũtur, non tantum
ignis gratiã, sed ad alia quoq; vtensilia vasorũ, vt quæ proba & alta materia sint.
Ex ipso quidem papyro nauigia texũt: è libro, vela tegetesq; nec nõ & vestis ge-
nus & stragula & funes. Mandunt crudũ decoctum succo deuorato corpus ex-
puètes. Scitur & vsus eius veteribus & ad chartas. Nascitur in Syria circa lacum
quo & calamus odoratus. Rex Antigonus in naualibus vsus est rebus, funes ex eo
faciēs. Sari in aqua iuxta paludes prouenit, vbi recedēs annis plana dimisit, radice
prædura flexuosãq; triãgulo caule, lōgitudinis duũm cubitorũ, & latitudinis pol-
licaris, coma papyri. Mandũt quoq; succum tantũ deuorãtes, radice carbonibus
dicata, quibus vt duris fabri vtantur ferrarij. Habetur & in Aethiopia & Cimi-
nio lacu plurimum, sed alterius fortè generis, nec ad chartas vtile. Quandoquidẽ
Aegypto propria tribuitur, & biblos appellatur, parte eius quæ delta & inferior
pars nominãt. Nascitur in Euphrate circa Babylonẽ: alioqui quoq; in India Stra-
bo biblum nasci scribit. Idem author, in parte Nili quæ dicitur inferior, abun-
dare tradit eam, quoniã ibi præcipue colatur: & duorum esse generũ, deteriorẽ &
melioerem, quæ hieratica dicatur, vnde & nomen chartæ Plinio. Nunc & alia eius
officinis inuenta ratio, quippe cum ex papyri libro prætenues, sed latissimas phi-
luras acu diducto quondam factitabantur chartæ, quarum vt in Europa nũc eua-
nuit vsus, ita nomen remansit. Etenim quam ex contritis hodie linteolis chartam
passim conficiunt, ijsdem quibus & illa cõmendatam dotibus. quippe tenuitate,
candore, læuore, densitate Niloticæ nostra charta non cedit, quam etiam vulgus
illius imitatione *papyrus* vocat. Herodotus veteri cõsuetudine pelles quoq; hirci-
nas & ouillas biblos vocari tradit, q̄ ijs in penuria chartarum vteretur vita. Papy-
rus præcipue vtilitatis cum inaruerit, ad laxandas siccandãsq; fistulas, & intume-
scendo ad introitũ medicamẽtorũ aperiendas. Charta quæ fit ex ea cremata inter
caustica est. Cinis eius ex vino potus somnũ facit. Et ex ipsa aqua, impositum cal-
lum sanat. Dioscorides scriptum reliquit cognitã rem esse papyrũ, vnde chartæ
conficiantur, præcipuæ vtilitatis cum madefactũ & lino circũuolutum inaruit,
ad laxandas quæ perclusæ sunt fistulas. Siquidem astrictũ atq; demissum in hiatũ
cõpletur vligine, & intumescẽdo fistulas aperit, vt medicamẽtis pateat introitus.
Habet nescio quid alimẽti radix, ac esui tenerũ, quod mandunt Aegyptij, succũ
tantũ deuorantes, & mansum corpus expuètes. Radicibus incolæ pro ligno vtũ-
tur. Cremati cinis nomas in ore cæterisq; partibus crassantes cohibet: sed effica-
cius combusta charta præstat. Vidimus è papyro persæpe scipiones baculõsque
triquetra specie, leues, ac perpolitos, quibus caduca senectus, aut imbecilla fulcia-
tur iuuenta. Chartã cuius vsu maxime humanitas vitæ constet, & memoria Ale-
xãdri Magni victoria repertã author est Marcus Varro, cõdita in Aegypto Ale-
xãdria, antea nõ fuisse chartarũ vsũ. palmarũ folijs primo scriptitatũ: deinde qua-
rũdam arborum libris: postea publica monumẽta plũbeis voluminibus aut ceris.
Pugillariũ enim vsus ante Troiana tẽpora inuenitur apud Homerũ. mox priuata
linteis fieri cõcepta. Idem Varro supprimente chartas Ptolemẽo, mẽbranas Perga-
mi tradit repertas. Has adhuc hodie pergamina ab inuentrice natione (ni fallor)
nominant. Nunc promiscue patet vsus rei, qua constat immortalitas hominum.
Emporetica charta scribendo inutilis, inuolucris chartarũ segestriũmq; in merci-

vsum præbet, & ideo à mercatoribus cognominata. Post hanc papyrum est, ex-
 tremumq; eius scirpò simile, ac ne ad funes quidem, nisi in humore, vtile. Textu-
 tur omnes tabula madente Nili aqua. Turbidus liquor vim glutini præbet, cum
 primo supina tabula scheda illinitur lōgitudine papyri, quæ potuit esse segmen-
 5 tis vtrunque amputatis. transuersa postea crates peragitur. premuntur deinde præ-
 lis. Nunquam plures scapo quàm vicenæ. Nostrates chartæ contritis in lanugi-
 nem linteolis tabulis glutino madentibus, premuntur prælis, & siccantur sole, atq;
 inter se plagulæ iunguntur. Laudatur eisdem quibus Nilotica dotibus, vt insit cā-
 dor, tenuitas, læuor, densitas. Scabritia læuigatur dente cōchæve: sed caducæ li-
 10 tæ fiunt, minus tamen forbet. Politur & charta vt magis splendeat. Fidelior est
 & minus bibula, quæ mediocri & redundante glutino texta coaluit. Glutinum
 è pollinis flore temperatur feruente aqua, minimo aceti respersu. Nam fabri-
 li à gummi commissuræ fragiles sunt. Diligentior cura, molli panis fermentati
 colata aqua feruente. minimum hoc modo intergerij, atq; Nili lenitas supera-
 15 tur. Rebellat sæpe gluten incuriose datum. Deprehenditur cum fuerit indili-
 gentius, & lentigo oculis, sed medijs inserta glutinamentis ceu tēnia. Bibula char-
 ta literam transfundit, quod vitiosi glutinis argumētum est: quod nec vetustius
 vno die esse debet, nec recentius. Malleo tenuatur, & iterum glutino percurri-
 tur, iterumq; constricta erugatur, atque extēditur malleo. Linteolaris ergo char-
 20 ta eisdem viribus quibus papyracea pollet.

¶ Persea.

Cap. CX.

Persea arbor sui generis Aegyptia Straboni celebrata altitudinis exi-
 miæ, grato aspectu, materie vt celtis atra, folio, flore, ramo pyri, coma
 perpetua, neq; non immortalis fructu, quādo nouus anniculū occupat,
 25 Caniculæ exortu maturescens. Huic pyri magnitudo, figura oblonga,
 amygdalæ modo putamine includitur & corio: color herbidus. Nucē intus quæ-
 admodum prunum continet, verum longe minorem molliorémq; poma dulci,
 suauis, concoctu facili, & quanuis immodice sumatur innocuo, radice prægrandi.
 Ex hac Aegypti simulacra, lectos, mensas, & cætera id genus construunt, mate-
 30 rie tenui non tam grata q̄ fideli. Theophrastus perseam pyro similem per omnia
 fecit, hilarem intuitu. Semper autē folia habet, & poma subnascētib; alijs. ma-
 turitas Etesiarum afflatu. alio tempore crudiuscula decerpunt, ac reponunt. Ma-
 gnitudo longioris pyri, amygdalæ putamine clauditur & corio coloris herbidi.
 nucem intus habet vt prunū, sed minorem multo molliorémque. Suauitas carni
 35 prædulcis & innocua etiā largiorem mandentibus, concoctu & deiectu faciliem,
 radice prægrandi. materies lōgitudine, crassitudine, copia inter cōmodissimas, bo-
 nitate, firmitudine, nigritia quoq; nihil differēs à loto, quam fabam græcam vo-
 cant Latini. Simulacra, lectulos, & cubilia factitauerē nō tam decoro ligno quàm
 fideli, vt quod magna ex parte sit contortum. Proinde nauale tantum esse cœpit.
 40 Aegyptus, vt Plinio placet, persicam arborē sui generis habet, similem pyro, fo-
 lia retinētem. Fertilitas assidua eius, subnascēte crastino fructu. maturitas Etesia-
 rum afflatu. Pomum longius pyro, inclusum amygdalæ putamine & corio, co-
 lore herbido: sed vbi nux illi, differēs breuitate ac mollitie, & quanuis blanditur
 prædulcis suauitas, innocuum. Materies bonitate, firmitudine, nigritia quoq; ni-

hil differens à loto. Simulacra ex ea factitauere, non eadem gratia, qua fideli materie, sed magna ex parte contorta. naualis itaque tantum est. Perseam è Perside in Aegyptum translata à regibus tradūt, propter supplicia, quoniam venenata ibi esset. quod eruditiores constanter negant, sed à Perseo Memphi fatam fatentur. Ob id Alexádrum illa coronari victores instituisse, in honorem atavi sui. eam aliqui rubescentibus myxis similé fecere. Alia omnino est à persicis, de quibus mox dicemus, nec extra Orientem nasci voluit. Plutarchus author grauissimus, perseam arborem inter omnes Isidi gratissimam, & in Aegypto maxime celebrari tradit, quia fructū ferat cordi similem, folium vero linguæ. Huic porro Columellæ versus illi fortasse dicantur,

» Quin etiam eiusdem gentis de nomine dicta,

» Exiguo properant mitescere persica malo.

Dioscoridi perseæ Aegypti arbor est, fructū ferens cibo idoneū, stomacho vtilé, in quo phalágia inueniūtur, quæ cranocolapta nomināt, maximéq; in Thebaide. Folia huius siccatritáq; eruptiones sanguinis illitu sistūt. Quidā prodidere venenatā in Perside arborē eā gigni, sed in Aegyptā translata mitigatū cælo pomū euasisse tenerū esui. Galenus in Alexandria perseam se vidisse testatur, magnis arboribus comparandam, cuius vt tradunt (inquit) pomum in Perside tam præsentis est veneni vt vescentes interimat. In Aegyptum verò translata & peregrinatione mitigata, poma ferre cibus idonea, turbinata pyri facie.

¶ *Persica.*

Cap. CXI.

Persicā ex Perside fuisse arborē vel ipso nomine cōstat, indéq; primū aduectā. Scatēt ea Galliæ, sed inter ceteras malos humili ex pumila folio amygdalę maiusculo, flore subpunico, pomo carnosio, succulēto, extrinsecus lanuginoso, dura intus & scabra nuce, in qua nucleus qualis amygdalis. Maturascit autumnū exitu celerrimè marcescens. In totū quidem persica peregrina Asiæ, Græciæq; esse nomine ipso apparet, atque ex Perside aduecta. Theophrasti tēporibus in Aegypto & vicinis locis ferebat, in Rhodo ad florē vsq; perueniēs, quod primū ab Aegypto veniēti fuerat hospitium. Inde rhodacina fortasse vernaculo Græcorū sermone dicta, nisi quis inuersū nomē putet quasi doracina, sic enim persica ipsa nominantur à Græcis recentioribus, Paulo & Aëtio, quasi duracina. Falsum est venenata cū cruciatu in Persis gigni, & pœnarū causa à regibus translata in Aegyptum terra mutata. Id enim de perseæ diligētiores tradunt. Persicæ arbores in Rhodo florent tantum. loci vitio infructuosæ peregrinæ, quarū Græca aut aliena nomina. Persici ante brumam per autumnum feruntur, quarum non minima gratia est. Nouembri mense calidis locis, cæteris Ianuario. Persici ossa in pastinatis areis sunt ponenda, binis à se pedibus separata, vt cū inibi plantæ excreuerint, transferātur. Sed ossa obruantur cacumine deorsum verso, & nō altius duobus tribusve digitis humentur. Sed quæ ferenda sunt ossa, nōnulli paucis prius diebus in qualis cineris mistione terra soluta reseruant. alij sine vlla cura. Qualibuscunque proueniunt locis. Sed & pomis, & frondibus, & durabilitate præcipua sunt, si cælum calidum, solum arenosum & aridum sortiantur. frigidis verò & maxime ventosis, nisi obiectu aliquo defendantur, intereunt. Dum tenera sunt germina sæpe herbis circumfossa liberentur. Bimam plantā rectè transf-

ferimus scrobe breui. Nec à se longè statuendæ sunt, vt inuicem se à calore so-
 lis excusent. Ablaqueandæ per autumnum, & suis stercorandæ folijs. Collucan-
 da per idem tempus persicus, vt arida & putria tantum virgulta tollantur. Nam
 si quid viride reseccetur, obarescit. Arbori languenti veteris vini fæces, aquæ mi-
 5 stæ suffundantur. Si arbor ardore solis siccata contabescat, frequenti aggestio-
 ne cumuletur. Vespertino iuuetur humore, obiectis defendatur vmbraulis. Pro-
 dest in ea quoque spoliū serpentis appendi. Contra pruinas persico stercus in-
 geratur, vel vini fæces cum aqua permistæ, vel, quod magis valet, aqua in qua fa-
 ba fuerit incocta. Si vermes arborē infestent, eos cinis amurcæ mistus extinguit,
 10 vel bouis vrina cum aceti tertia parte confusa. Si poma persici caduca sunt, nu-
 datis radicibus, vel trunco, lentisci vel terebinthi cuneus adigitur, vel terebratis
 in medio, palus falicis imprimitur. Si poma rugosa creabit, aut putrida, circa imū
 truncū cortex recidatur, & cū inde modicus effluerit humor, argilla vel paleato
 luto plaga retegatur. Grandia poma persicus defert, si florenti per triduum terni
 15 caprini lactis sextarij ingerantur. Contra vitia persici proficit illigatum spartum,
 vel suspensa ramis sparteæ. Inseratur furculis plenioribus & prope arborem na-
 tis, Ianuario vel Februario frigidis, Nouembri calidis: aliàs cacumina, vel nō te-
 nebunt, vel durare non poterunt. Inseritur in se, in amygdalo, in pruno: sed ar-
 menia, vel præcoqua prunis, duracina amygdalis melius adhærescunt, & tem-
 20 pus ætatis acquirūt. Mense Aprili, vel Maio locis calidis, in Italia verò vtroque
 exeunte, vel Iunio persicus inoculari potest (quod emplastrari dicitur) præciso
 superius trunco, & emplastratis pluribus gēmis. Persicus rubescit si platano inser-
 ta figatur. Adfirmant Græci persicum inscriptum nasci, si ossa eius obruantur, &
 post dies septem, vbi patefieri cœperint, apertis his, nuclei tollantur, & ijs cinna-
 25 bari, qualibuerit effigie, descriptis ligati, mox cum suis ossibus diligentius adhæ-
 rentes humentur. Persica malus, vt Græci scribunt, gaudet aquosis. si non talē
 sortiatur locum, assiduo potu desiderat inebriari. hunc in modum iugi rigatu sa-
 tiata, maiora multo poma creabit. Complures interlegenda censent, quæ vber-
 tate nimia matrem onerauerint, vt arboris succus ad relictorum nutrimenta po-
 30 morum conuertatur: sic enim saliuæ copia in pauciores fœtus se conferens, altili
 saginat incremento. Habitu lætiore plantulæ gliscūt, quæ versatis in ora frequē-
 ter ossibus, relicta carne lignum inuolente, & ita depositis, profilierūt. Arbor
 hæc celerem sentit senectā. Inseritur pruno, amygdalæ amaræ. Verū quæ ex osse
 persicæ prouenerit, Græcis agriculturę peritis barbillos appellatur. Inscripta per-
 35 sica nasci putat Democritus, si exeso corpore internum os triduo madescat in
 aqua, dein aperto sensim ligno, nucleus intus inuentus cortice tenuis æneo stylo
 non alte quibus placebit literis exaretur: dein papyro vel charta inuolutus, com-
 missis carinis seratur. quod enim in eo amygdalo depinxeris, hoc enatum inde
 pomū repræsentabit. Nec secus Græci inscripta amygdala asserūt nasci, si aper-
 40 ta testa nucleū tollas, & in eo quodlibet scribas, iterūmq; luto aut suillo stercore cō-
 uolutū reponas. Rubra nascētur, adfirmatē Democrito, rosas sub arbore cōsitis.
 Altera ratione rubra creari promittit, si post septē dies q̄ patefieri cœperūt (nam
 spōte totidē diebus aperta fatiscunt) in ossium internos ventris sinus cinnabarim
 infundas, mox vt cohæreant, strictim obligata simul cum suis nucibus obruas. sic
 45 rubra dabunt arbores persica. Si alium quēuis instillaueris colorem, in talem ena-

ta progenies degenerabit. Perficus rubescit authore Didymo, quæ platano infesta coaluit. Sine ossibus perfica nasci tradit Africanus, si in perforatum truncum extusa medulla, falicis vel corni palum adegeris. Perficorum genera quatuor. Palma duracinis. nationum habent nomen Gallica & Asiatica. Post autumnū maturefcunt, sicut æstate præcocia, quæ Plinius intra triginta annos inuēta prodente se testatur, & primo denarijs singula vænūdata. Supernatia è Sabinis sunt, popularia vbique. Pomum innocuum expetitur ægris, pretiūmque singulis iam triceni nummi fuere: nullius maiore, quod miremur, quia non aliud fugacius. Longissima quoque decerpto bidui mora, cogitque se venūdari. Nullus perficis succus, odor dilutus, cum duracina abundant succo. Omnibus foris corpus, intus lignum nucum. carne cutéque constant, quæ statim recedit à ligno perficis: duracinis adhæret corpus, è lignoq; auelli nequit, cum in cæteris facile separetur, inde forsitan nomen. Perfici poma sine suis ossibus nasci volunt qui sese asserunt expertos, brachij crassitudine ramum falicis solidum, longū cubitis duobus. Iubent perforari in medio, plantam perfici ramis omnibus spoliata solo capite relicto, per impressum foramen induci loco in quo consistit. tunc eundem falicis ramum capite utroq; demerso in arcus similitudinem incuruari, foramen luto, musco, vinculisq; astringi: anno deinde exacto, vbi infra medullam falicis caput plantulæ sic cohæserit, vt vnitas ex duobus mista corporibus cōtrahatur, plantā subter incidi atq; transferri, terramq; aggerari, quæ falicis arcum cum perfici cacumine possit operire, sed hoc locis humidis vel riguis cōuenire. Salices aquationibus iuuandas vt tigni natura vigeat, quæ humore delectatur, & copiā succi germinibus ministret alienis. Tria pomorū obseruant genera, posteritas innumera penè fecit. Populare vulgo notū est *pesche* vocabulo. Duracinum ex re dictū, quod corpus pertinacius hæreat ossi q̄ vt auelli queat. Galli *pressum*, quod caro ligno interiori apprimatur. In quo etiā genere reperiuntur poma quæ sanguineo succo manus inficiant. Præcox ante perficū officinis, vulgo *Trecacinum*, quod inde ad nos adferatur æstate maturefcēs. Hoc vt reliquis est minus, ita iucundissimo, cætera præueniēs, placet sapore, atq; innocēti gustu, vt quod impunè mādatur ægris. Nec figura, nec succo, nec gustu, nec colore, sed sola celeritate proueniēdi dissidet à vulgari. Armeniaca peregrina & ipsa nomine cognoscūtur. Armeniaca vocari desita & præcocia tantum dici testis est Galenus. De quibus cecinit Martialis,

„ Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,

„ Nunc in adoptiuis perfica sola sumus.

Armeniaca prunorum generis esse tradunt, sola è prunis odore commendatur. Græci non præcocia, sed ferè bericoca pronunciat. Hinc vt arbitror, ducto vulgari nomine *abricoca* vocantis, vtrinq; potius pruni quàm perfici & naturam & faciem referre videntur: quanquam diuersi generis esse multis placet. Perfica salicorum studiosi in prouentū alium cadis condiunt. Duracina seruantur obruta muria, vel aceto mulso, vel detractis ossibus ficorum more ficcantur in sole ac pendent. Item sæpe ossibus exemptis, duracina melle cōdiuntur, grato sapore ac iucundo. Item optime seruantur, si vmbilicus pomi gutta picis calentis oppleatur, vt sic vase concluso, sapæ cogatur innatare. Succus perficorum, vt est Galenus author, facile corruptionē sentit, ac noxā adfert, quapropter postremo cibo sumenda non sunt, vt moris est plerisque. innatant enim stomacho, &

quicquid præsumptum fuerit vnà secum incorruptionem trahunt. Itaq; primis
 mens sumi tolerabilius fuerit. Sic celeriter discedentia sternunt alijs viam com=
 mode præeuntia: reliqui cibi facilè lubrico meatu sequentes elabuntur. Innocen=
 tiora armeniaca præcociâq; nec similiter corruptioni patent, neq; acorè contra=
 5 hunt, suauiora stomachoq; commodiora. Cæterum præcocia armeniaca melio=
 ra censentur, exigui vt reliqua poma, nutrimenti. Sed nostrū vulgus hoc sibi per=
 suasit, nucleo suo noxam expediri, quam impediens persicum attulerit. ita vul=
 gatum Gallis adagium, Malum quod implicuit persicum, nucleus explicat. Nec
 est alius Plinio auctore his pomis innocentior cibus: nusquã minus odoris, suc=
 10 ci plus, qui tamen sitim stimulet. Folia eius trita sanguinis eruptionē sistunt. Nu=
 clei persicorū cum aceto & oleo capitis doloribus illinuntur. Persica poma dun=
 taxat matura, tam stomacho quàm ventri vtilia. cruda aluum cohibent, sed pas=
 sa vehementius. Persicorum quæ ficcata sunt decocto fluxiones stomachi ven=
 trisq; supprimuntur. Infra magnitudinem eorum sunt armeniaca, quæ Latinis
 15 præcocia nominantur, magis superioribus stomacho salutaria sunt. Armeniaca à
 præcocibus distinxisse Galenus videtur, cum præcocia præferat armeniaca. Fo=
 lia puerorū vmbilicis imposita, tineas enecant: eorundē succus vermiosis auribus
 instillatur. Nucleū improbitati succi diximus occurrere: noxa vino discutitur.

¶ *Picea, Pinus.*

Cap. CXII.

20 **P**inus latinum quoq; in Gallia nomē habet à pinnato foliorū cacumine,
 arbor vulgo nota. Iam duo tantū apud nos obseruātur genera, syl=
 uestris & vrbani discrimine. Hanc pinum vocamus, non nisi à vertice
 ramosam, folio pectinum modo dissecto promissōq;, ac mucrone acu=
 leato, conis lignosis frequenti nucamēto in turbinatam effigiem compactilibus,
 25 in quibus nuclei singulis cameratis toris inclusi. Syluestre pinastrum appellant,
 eximie proceritatis, sed à medio statim caudice ramosam. Pinus & pinastrer fo=
 lium habēt capillamenti modo prætenue longūmq;, & mucrone aculeatum. Pi=
 nus fert minimū resinæ: interdum ex nucibus ipsis. Pinastrer nihil aliud est quàm
 pinus syluestris, mira altitudine, & à medio ramosa sicut pinus. in vertice copio=
 30 siorē dat hæc resinam. Picea larici simillima est, folio breui, setæ proximo, cras=
 siore tamen durōq; vt cupressis, immortali virore: ad laricis verò comam colli=
 so, rariore, sicciore, tenuioriq;, ac magis algēti: rami statim ab radice modici ve=
 lut brachia lateribus inhærent, materie abieti proxima. frequens in Alpibus Co=
 35 ctijs visitur, fundens resinam thuri vsq; eo similem, vt pro eo sæpe fallat, & odor
 adest non ingratus. Nuces pineis similes, sed minores, vt & arbor tota pino hu=
 milior graciliōrq;. Differt à pinu picea, q̄ pinguior ac tenuior folio est, quódque
 minus alta, minūsq; recta quàm pinus adsurgit: præterea & conum minorē ac
 magis argentē, nucleos quoq; resina perfusos obtinet. Vtriq; folium capillamēti
 40 modo prætenue, ac breui seta villosum, crassiore, durāq; ceu cypressis. materies
 candida & abieti similior. Pinus vstis radicibus non repullulat, picea repullulat,
 vt in Lesbo accidisse Theophrastus scribit, incēso Pyrrhæi mōtis nemore, quod
 piceis scatebat. Picea veteribus est quam Græci pityn ferè vocant. Huius speciē
 Theophrastus phthiropœon, hoc est pediferā tineosāmq; nominat, quia totis pa=
 niculis non prima tantū in parte vt abietes, nucleos & minores & nigros habeat,

sed ipsas quoq; paniculas minores graciliorésq;. Sunt auté paniculæ, nucamenta
 quædam quæ è ramis arborum resinam fundentium callo squamatim compacti
 li dependent, præterquam larici. Negant aliqui florere piceam, sed vice floris esse
 nucaméta, quæ cittaros Græci vocât, grossis præciduis fici proportione respon-
 dentia. hæc compressiora maribus sunt, ac minus resina madent quàm foeminis. 5
 Præuenit germinatio huius floré abietis, quia paulo ante solstitium erumpit, die-
 bus ferè quindecim, & ad proportioné fructificat post Vergilias. Sed scire conue-
 nit Pliniû ferè larici tribuisse, quod Theophrastus de peuce, hoc est pinu prodidit.
 Decacuminatio, quam Græci vocant epicopen, piceæ, pino, abieti, palmæ, aliqui
 addunt & cupresso & cedro, perniciem adferre perhibetur. Picea montes amat 10
 atq; frigora. Feralis arbor & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens, iam
 tamen in domos recepta, tonsili facilitate. rami penè statim ab radice modici ve-
 lut brachia lateribus inhærent. Hæc plurimã resinam fundit, interueniēte candi-
 da gēma tam simili thuri, vt mista visu discerni non queat, & inde seplasiæ fraus
 & adulteria Asiæ. In Hispania & piceastri sunt. ex quibus resinam, vnde pix co- 15
 quatur, colligunt. Pinus procera est. Hanc veçte sollicitatam octo cubitis longio-
 rem effici, Theophrastus adfirmavit: nec radice quidem solida, sed abrupta. Ger-
 minatio cœpta in pinu, sicut in robore abietéq; intermittitur: ideóq; turget ter,
 & terna ædit germina. quod genus arbores, trislepi Græcis appellantur, quæ ter
 inchoatum opus, intermissúmque repetant. Theodorus Gaza ter squamosas, 20
 quasi trilepros legendum esset, aperto errore interpretatus est. Germinatio pri-
 ma Februarii: ineunte, quanquam in monte Ida serius, ac ferè Idibus. Secunda
 mense Martio, qua & omnis galla gignitur. Aprili tertia, paucioribus interiectis
 diebus quàm inter primam & secundam fuerât. Cæditur vere vbi tantum cor- 25
 tex detrahendus est, ad operum rotunda. nam ad quadrata, vbi germinatio de-
 fierit, & si validior quærat, etiã vbi fructum excoxerit. sed tunc vermiculi qui-
 dam sub libro nascuntur, qui summotenus corticem non erodant, sed velut in-
 scribant: vnde quibusdam sigilla. Hoc non in pino tantum vel larice euenit, sed
 in omnibus quæ post fructus maturitatem cæduntur. Et illa communis ijs omni- 30
 bus in arte, fabricave distinctio, vt aliæ quadrifidos venarû cursus habeant: bipar-
 titos aliæ, vel omnino simplices, hoc est, vt Theophrastus inquit, tetrazoos, di-
 zoos & monozoos: quæ manifesto errore, Gaza conuertit quadriuiuas & biniui-
 uas & vniuiuas. Ex pino nauigiorum rotunda fiunt & onerarijs carinæ, quanquã
 nec è quercu negligunt: sed illa magis triremibus idonea est. Excusores carbo- 35
 nem pini, querno præferunt, non quia viribus parem, sed quòd ad flatum com-
 modius respondeat, nec vt quernus marcescat. Resina huius à germinatu tolli-
 tur, detracta prius teda. Ex omnibus resinam ferentibus scandulas è pino firmis-
 simas esse constat, ex cæteris faciles omnino, sed imbecillas. Materies verò præ-
 cipua trabibus & plurimis vitæ operibus: expetitur quoq; nauigijs. Resina ei vi- 40
 tium, vnde fructus vnus piceæ: exiguumq; sudat aliquando contactu solis. Ma-
 teries pulcherrima ad fissiles scandulas, cupas, & alia quædam secamenta. Situs
 in excelso montium quasi maria fugerit. amat montes atq; frigora. Folium pino
 pinastróq; aculeatum mucrone, prælongum, exile. Pinus fert minimum resinæ,
 interdum ex ipsis nucibus, vix vt ascribatur generi. aduersus cariem tineásq; fir- 45
 missima. Noxia eius vmbra necat germina pinus, sed ventis resistit. Si quis pino

cacumen auferat, sterilitatem non necem adfert. Pinaſter nihil aliud quàm pinus
 ſylueſtris, mira altitudine, & à medio ramo ſa, ſicut pinus in vertice. copioſiorem
 dat hæc reſinam. Gignitur & in planis. Eaſdem eſſe arbores alio nomine per o-
 ram Italiae quas ſtrobilos Plinius vocari exiſtimat, è natalium cognatione ſic di-
 5 ctas, ſed graciles ſuccinctorèſq; & enodes, liburnicarū ad uſus, penè ſine reſina.
 cura degenerant. Hæc omnia genera accenſa fuligine immodica, carbonem re-
 pente expuunt, cum eruptionis crepitu, eiaculanturq; longè excepta larice, quæ
 nec carbonē facit, nec alio modo ignis vi conſumitur quàm lapides. Omnia ea
 perpetuo virent, nec facilè diſcernuntur in fronde, etiam à peritis: tanta eſt na-
 10 talium miſtura. Aliqui duo genera faciunt. in Troade, montanum ſiue Idæū, re-
 cta, celſa, craſſa materie, nucibus oblongis, viridibus, ſero dehiſcentibus, vtpote
 ſylueſtrius, pice copioſum, maritimū, folio tenuiore infirmiorèq;, cortice læuiorè
 re, & corijs vtiliore quàm Idæi, nuce rotunda, breuiq; aperienda, valida & robu-
 ſta materie. Alij, vt Macedones, marem intelligunt ſterilem, breuiorem, folio du-
 15 riore. Fœminam proceram, folijs pinguiſſimis & ſimplicibus atq; non ri-
 gentibus. Lignum maribus retorridum, præcinctū medulla, durum & ad fabri-
 rum opera contortum. Nigrior radix fœminæ, mollius & omnino tractabile ſe-
 curibus. Pinus fœmina habet quam Græci vocant ægida, mellei coloris, picto-
 rum tabellis immortalē, nulliſq; fiſſilè rimis. proximum medullæ cor pinus.
 20 Nascitur hæc in fœmina duntaxat, vt quæ minus tedacea ſit quàm mas, læuiga-
 tior ac probior curſu meatuum. Ficum vocant Idæi tedarij, cum grandiū arbo-
 rum medullæ ſecuris adigitur: quibus proſtratis, partes candidæ, ambientèſque
 computruerunt, colore vehementer abiecto, & neruo prætenui. Nam id quod
 in pinu rubidius teda naſcitur, mares potius habent quàm fœminæ. Hoc mari-
 25 bus tantum accidit, & odore grauiffimo eſt, neq; tedam redolens, nec ardens, ſed
 abigni reſiliens, ſyce dicta. Pini morbus eſt vt teda fiat, tam parte caudicis exter-
 na quàm corde: id quod abundantia ſucci, & vbertate larga luxuriantis naturæ
 prouenit. Mares hanc tantum ferunt. In quo noſcendum permulta quæ de pino
 Theophræſtū ſequuti diximus, ea larici à Plinio adſcripta ſunt: nec mirum, quan-
 30 do & perpetua fronde larix, & ſitus idem qui piceæ in montibus, eadèmq; fa-
 cies. Materia præſtantior longè, incorrupta vis, mori contumax, rubens, odore
 acrior. nec ardet, nec carbonē facit, nec alio modo ignis vi conſumitur quàm la-
 pis, cum cætera quæ picem & reſinam fundunt, immodicè accenſa carbonē ex-
 puant, cum eruptionis crepitu, eiaculanturq; longè. pluſculū huic melleo colo-
 35 re atq; lentiore, nunquam dureſcenti. Teda propriè dicta, à Græcis das & dadi-
 on vocata. Sed ſui generis arbor in Illyrico eſt, redundantior humore quàm re-
 liquæ, parcior liquidiórque quàm picea, flammis & lumini ſacrorum quoq; gra-
 ta. Improperie autem tedas appellamus, tum piceæ ſatiuæ partes imas, tum alia
 quoq; ligna quæ flamma olei vel picis illitu concepta faculæ modo luceant. Ex
 40 ijs quæ dicta ſunt, conſtat in Europa haberi ſex genera cognatarū arborum, quæ
 reſinam ferant: pinum, piceam, pinaſtrum, abietem, laricem, tedam. addi poteſt
 & ſeptimum piceaſter in Hiſpania. Pinum vero pineas nuceſ ferentē quàm Græ-
 ci conon appellitant: pinaſtrum & laricē, quam peucen, in Troade viſenda ma-
 gnitudine quatuor & viginti pedum ambitu, altitudine duorum iugerum: præ-
 45 tèrque cubitorum quindecim piceam quam pityn exiſtimant: tedam vero quam

dada & dadion. atq; omnia hæc Plinium sequentibus. Nam Theophrasto pinus
 atq; larix idem, quemadmodum supra testati sumus. Cæterum vt Græci non illepi-
 de hoc verborum inuolucro naturam explicantes fabulantur, Pitys puella fuit olim
 perquam illustris, quam vnice Pan adamabat, contra, hanc deperibat riualis Bo-
 reas. Vtrique adducta potius Pani puella adhæsit, propterea zelotypia stimulatus
 Boreas, Pityn in saxa propulsans neci dedit. Dolens vicem puellæ Tellus, cogno-
 minem ei arborem ædedit, mutatoque vitæ genere apud eos mansit: sed Pana vi-
 renti ramo coronat. Luget facinus arbor collachrymans, quod Boreas immeri-
 tam proteruo spiritu depulerit. Pinus creditur prodesse omnibus quæ sub ea se-
 runtur. Seritur nucleis suis, vt Græci volunt, ab Octobri mense vsque ad Ianua-
 rium calidis & siccis regionibus, frigidis & humectis Februario vel Martio. Le-
 guntur pineæ nucs Iunio antequam Etesia venti spirare cœperint: item prius
 quam dehiscite tegumento procidant. Amat locum gracilem, sæpe maritimum.
 Inter montes & saxa vastior & procerior inuenitur. ventosis & humidis arborum
 fiunt incrementa lætiora. Sed siue montes siue spatia quæcunque velis conferere,
 exarabis ea loca diligenter, & frumenti more semen asperges, ac leui sarculo cu-
 rabis operire, nec enim plusquam palmo debet abscondi. Defendenda est arbor
 tenera à pecore, ne calcetur inualida. proficiet si nucleos aqua triduum ante ma-
 ceraueris. Aliqui dicunt fructum pineum translatum mitescere. Sed plantas hoc
 modo procurant, vt prius multa semina in calyculis fimo & terra repletis obru-
 ant: quæ vbi processerint, relicto eo quod solidius est, auferunt alia. Vbi iustum ce-
 perunt incrementum, trimam plantam cum suis calyculis transferunt: quibus fractis
 in scrobe radicibus indulgentes largitati consulunt. terræ tamen equæ stercus est
 admiscendum, facta stratura ordine alterno subinde crescente. Danda est opera,
 vt radix quæ vna est & directa, vsque ad summitatem suam integra & illæsa trans-
 feratur. Putatio nouellas pini arbores tantum promouet, vt quæ speraueris in-
 crementa duplicentur. Nucs prius legendæ sunt quam patefcant. nuclei nisi pur-
 gati durare non possunt: tamen aliqui in vasis fictilibus nouis & terra repletis cum
 testis suis missos, asserunt custodiri. Nucs ergo pineæ grandissimæ altissimæq;
 à terra suspensæ, intus exiles nucleos lacunatis toris ferruginea tunica vestitos
 contegunt. Quarum genera sunt quaterna: durum quod & vulgare. tenerum & pu-
 tamine digitis fragili, ideoque auib; expositum, tarentinam vocabant. Tertium è
 picea satiuæ, nucleorum cute verius quam putamine adeo molli vt simul mandatur,
 sapineum Plinius vocat. Quartum pityidas vocant è pinastris, singularis reme-
 dij aduersus tussim. In melle decoctos nucleos Taurini aquicellas vocant. Pineæ
 corona victores apud Isthmum coronantur. Græci, vt testatur Galenus, pineas
 nucs conos & strobilos appellant. Idem in Hippocrate coccalos vocat eos nu-
 cleos. Alunt corpus etsi ægre concoquantur, humorumq; crassum pariunt. Nu-
 ces pineæ quæ resinam habent contusæ leniter, additis in singulis sextarijs aquæ
 ad dimidium decoctæ, sanguinis excreationi medentur, vt cyathi bini sumantur
 ex eo. Nuclei nucis pineæ sitim sedant, & acrimoniam stomachi rosionesque le-
 niunt. Contrarios humores consistentes ibi digerunt: infirmitatem virilium robo-
 rant, renibus & vesicæ vtiles. Fauces videntur exasperare & tussim. bilem pel-
 lunt poti ex aqua, aut vino, aut passo, aut balanorum decocto. Miscentur ijs contra
 vehementiores stomachi rosiones cucumeris semen & succus portulacæ. Item 45

ad vesicæ vlcera & renum, quoniam & vrinam cient. Cortex è pino in vino decoctus contra tormina datur. Piceæ folia trita & decocta in aceto dentium dolori profunt. Cinis corticis intertrigini & ambustis medetur: potus aluum sistit, vrinam cient, suffitu vulvas corrigit. Folia priuatim iocinori vtilia drachmæ pondere in aqua mulsa pota. Sylvas eas duntaxat quæ picis resinæq; gratia raduntur vtilissimas esse tabidis, aut qui longa valetudine non recolligunt vires, satis constat, & illum cæli aëra plus ita quàm nauigatione Aegyptiâ proficere, plus quàm lactis herbidos per montium æstiuâ potus. Pinus & picea, vt scribit Dioscorides, eidem adscribuntur generi: sed quandam flagitant specierum distinctionem. In vtraq; vis astrictoria cortici: intertrigines tritus & illitus sanat. Vlcerebus cutis, ambustisque cum spuma argenti & manna thuris imponitur. Collectus cerato myrteo vlcerebus mollium & fœminei corporis medetur. Cum atramento sutorio vlcerebus quæ serpunt interitur. Partus & secundas suffitus eijcit: aluū fluentem potu constituit: vrinam mouet. Folia earum trita litu inflammationibus auxiliantur, vulnera ab inflammationis periculo vindicant. Trita & decocta in aceto feruenti collutione dolores finiunt. Priuatim iocinori vtilia sunt drachmæ pondere in aqua mulsa pota. Cortex & folia si bibantur, strobili appellatæ eandem vim obtinent. Teda earum in tenues assulas præcisa decoquitur in aceto ad mulcendos dentium dolores, contecto qua parte dolent decocto. Ex eadem materia fiunt rudiculæ ad medicamentum lassitudinum, & ad muliebres pessos. Quin & crematarum assularum fuligo ad confectionem accipitur atramenti, quo ad volumina scribenda vtuntur. Circumlitionibus imponitur, quibus palpebras ornant, & verum in eis colorem mentiuntur, calliblephara Græci vocant. Angulos oculorum erosos emendat, glabrasq; genas ad pilum reducit. Delachrymationes cohibet. Pityides appellatur pinorum piceæq; fructus, qui in conis metisve reperiuntur, quibus vis astringendi, simul & excalfaciendi inest. Per se verò & cum melle adhibetur aduersus tussim & pectoris vitia. Nuclei pinei cum repurgati manduntur, aut cum passo, vel cucumeris semine bibuntur, vrinam cient, vesicæ & renum acrimonias hebetant. Stomachi rosiones mulcēt dati cum portulacæ succo. Infirmatē virium roborant, humores qui computrescentes in stomacho coierunt retundunt. Recentes ex arbore in passo confracti coquuntur ad veterem tussim, & tabem, vt liquor quoq; per singulos dies bibatur trium cyathorum mensura.

¶ Pix. Resina.

Cap. CXIII.

Pix nihil aliud est quàm fluxus combustæ in teda sua resinæ: de pinu ferè omnis vt Theophrastus inquit. Quanquã in Syria terebinthi quoq; picem ferunt, quia desint ibi pinus. È picea quoq; cedro, palma colligitur. Pix hyeme frigida deterior, minus copiosa, decolor: vbiq; optima ex apricis Aquilonis situ. Ex opacis horridior, virusq; præferens. Ex Idæa & montana pinu largior, coloratior, dulcior. Odore gratior vtiq; cruda, quoniam decocta multum deperdit, propter serum quod in ea contentum redundat. Est & maritima flauentior & crassior quandiu resina est, videlicet quandiu cruda. Sed decoctio ex ea parcius absumit. Idæa tedosior imbribus admissis quàm squalloribus, pix abundantior & liquidior excipitur. Hæc Idæi, priora Macedones. In Ida pinus aperiuntur parte solari, ablato per vulnus cortice, binis ternisve à

terra cubitis cum plurimum, singulis cum minimum. Postea cōfluit è tota pix in vlcus non sine teda, cum humor manare desijt. Simili modo alia parte cæditur, ac deinde alia, & sequenti semper anno teda locum implet. Extenuata per hæc arbor, facillimè vëto subuertitur: quod cum fit, tota succiditur, & cor, id est medulla eius vritur. In qua & in radice plurimum tedæ semper est. Explentur vero in pinu caua vulnerū, non cortice, non cicatrice, quæ in hac arbore non coit, sed resina seu pice, anno maximè ab incisū proximo si pinus frugi sit, aut secundo aut tertio si pessima. Probæ multas vices perferunt, vitiosæ nisi quis modicè inaniat, prouentūmq; dispenset, detractionē quartam non tolerant. Pinus nouellæ fructificant: veteres teda, non fructu sunt fertiles. Plinius hæc de pinu à Theophrasto dicta transtulit ad laricem, partim ad piceam: cuius assulas terræ proximas laudauit, altiores amaritudinē adferre scribit. In Syria quoq; terebintho ad picē detrahunt cortices, è ramisq; etiamnum ac radice vindemiantur, cum resina tamē damnatur ijs partibus. In Hispania è piceastro fit minimè laudata, quoniam resina eius arida, virosa & amara sentiatur. Pix conficitur hoc modo, paruitur area canali præparato per quē humor in medium confluat, tum lignum in hastulas concisum locatur struis congerie velut in carbonis v su, mox igni succenditur, terra vndiq; circumdata ne flamma erumpat. Perit enim pix si hoc eueniat. Quòd si fumus parte aliqua se sustulerit, scalis protinus admotis locū terra sepiunt, lutōq; obstruūt, ne quouis modo flamma queat exire. Canalis subiectus picem fluentē corruat in scrobes cubitis à cōgerie circiter quindecim remotas. Strues ipsa sexagenis aut quinquagenis cubitis, centenis & octogenis alta patet per ambitum. Sunt qui per vtrunq; mensum cubitos cētenos agant. humor qui fluat, obiter frigescit contactu: vritur ferè biduū. Operis perfecti signum, si rogi decumbat subsidatq;, & quasi latus det. Summa hoc illi diligētia & religione peragunt ceu feriantes, & cum appreciatione præsentiu solenni, vt pix ea tum copiosa tum proba euadat, ac primus quidē sudor qui aquæ modo fluxit in canali, cedrium vocatur vtiq; in Syria, vbi pinus non sunt, quo in Aegypto defunctorum corpora perfusa custodiuntur. Sequens liquor picē fundit, quæ in cortinas æreas coniecta aceto spissatur, & coagulata brutiæ cognomen accipit, dolis duntaxat vasisq; cæteris utilis, lentore ab alia pice differens, item colore rutilante, & quòd pinguior est authore Plinio. Brutiam à Brutijs dici cōstat, vbi nascitur ad oppidum Mamertium, feraci nemore vt scribit Strabo, ad vasa quoq; in Italia condiendo vino vtilissima, quoniam pinguiissima & resinosisima vtranq; præbeat commoditatē. Hanc ex mascula arbore meliorē esse adiiciunt, id quod intelligi non posse Plinius existimat. Theophrastus vri pinum in Macedonia nō omnem sed marem scripsit picis gratia: nec fœminæ tamē radices negligi, quòd ea tantū pars in fœmina tedam habeat, ex qua omnia illa fiant. In Asia Syri non detrahunt tedam, sed machinamēto quodam in arbore ipsa picē vrunt. Fit pix resina quoq; sola piceæ, feruētibus cocta lapidibus in alueis validi roboris: aut si aluei non sunt, congesta strue, vt in carbonis faciendi ratione. hæc in vinum additur farinae modo tusa, colore nigrior. Vitia picis acor, aut odor fumidus, aut picis adustio. Experimentum, si fragmenta subluceant, ac sub dente lentescat, odore iucundo. Asia picē Indicam maximè probat, Græcia è Macedonica pieriscam, Virgilius naritiā. Condiendis vinis Columella nemeturicam commendat,

quæ in Liguria cõficitur, & Allobrogicam quæ corticata dicitur. Siccata hæc ve-
tustate in puluerẽ resoluitur. Idem author picis quoddam genus crude, tafim vo-
cari tradit, in defrutum Neapolitanũ addi solitum. sunt qui rhœticam commen-
dant. E' Græcis rei rusticæ scriptoribus Didymus, veterũ fretus autoritate, pal-
mam Idææ pici tribuit: secundã laudem sibi vëdicat pierica. Sunt qui Rhodiam
præferant: alij rhœticam. In omni tamẽ natione probatur magis quæ splendida
nitescat, damnatur ea cuius fragmenta non eluceant. Probæ picis experimentũ
est, si feruens in frigidam aquãmersa non odore modo, sed gustu quoq; placeat.
Item maximè commendatur quæ inter coquendum neq; bullas expuat, neque
profiliens strepitum elidat. Laudatur etiã imprimis pura, leuis, odorata, quæ lin-
guæ dulcedinem respiciat. præfertur cocta crudæ, & arida liquidæ. Cæterum li-
quida in Europa è teda coquitur, naualibus muniendis, multósq; ad alios vsus.
Lignum eius concisum furnis vndiq; igni extra circumdato ferro, vt prius sudor
aquæ modo fluat in canali: sequês liquor crassior iam picẽ fundit. Resina picea si
cum aqua leuius coquatur coletúrq;, rufo colore lentescit, ac stillatitia vocatur.
Sed alia temperies ad crapulam. Nam flos crudus resinæ cum multa hastula te-
nui breuiq; auulsus conciditur ad cribrum minuta, deinde feruenti aqua, donec
coquatur, perfunditur: huius expressum pingue præcipua resina fit atq; rara, nec
nisi paucis in locis subalpinae Italiae medicis conueniens. Resinæ multis arbori-
bus leguntur incisis à germinatu, sed variè. De pinu, teda demum detracta, de a-
biete & picea ligno prægustato, de terebintho radicibus, ramis, & caudice vul-
neratis, sed melior quæ defluxit in caudice. Optima terebinthina est spissitudine,
leuitate, odore: secũda bonitas abietinæ ac piceæ: ponderosissima, picíq; proxima
è pinu est. Portatur vtribus liquida, tũ sponte crescit authore Theophrasto. Hæc
ex pinu & picea siccam esse Plinius intelligit. Dioscorides ex iisdẽ arboribus alias
esse siccas, alias haberi liquidas vult: item liquidas è terebintho, larice, létisco, cu-
presso. Nam & eæ ferunt in Asia Syriáq;. Picea pinguem & thuris modo succo-
sam fundit. larix gracilem, colore mellis Attici, ac mellei etiam liquoris, virus
redolentem: quare falluntur qui eandem esse putent è picea & larice. Resina lau-
datur nationum Cypria, Syriaca, vtraq; mellis Attici colore, sed Cypria carno-
sior sicciórq;, antecedens omnes. In sicco genere candida: in omni montana &
campestri præfertur Aquilonia. Terebinthi tenuissima est, cupressi acerrima sa-
pore, crassior cedri, & faciendis picibus idonea. Arabica alba est, acri odore diffi-
cili concoquenti, Iudaica callosior. Colophonia præter cæteras fulua, si teratur
alba fit, grauior odore, ob id non vtuntur ea vnguentarij. Liquida raro vtuntur
medici & in ouo fere, nec pinea magnopere in vsu, cæteris non nisi decoctis. Re-
sina vtq; dissoluitur oleo ad malagmata, vsúsq; vulnerum. Quidam & creta fi-
glinarum hoc fieri arbitrantur in potiones amaris amygdalis. Abieti resina, vt la-
rici teda vitium est. Exiguam abies sudat aliquando contactu solis. Oribasius &
Paulus resinæ genus Italiae tantũ nascentis xylodis, hoc est lignosæ cõmendant,
intelligentes quam Dioscorides Tyrrheniam siue Gallicã vocat, vel corticatam
Columella. Picis duo genera, spissum & liquidum vt dictũ est. Natura picis ex-
calfacit, explet. Aduersatur priuatim cerastæ morsibus cum polenta, item анги-
næ cum melle, destillationibus & sternutamentis, pituitis. Auribus infunditur cũ
rosaceo, illinitur cum cera. sanat lichenas, aluũ soluit, excreationes pectoris adiu-

uat eclegmate vel illitu, tonsillis cum melle medetur. Sic & vlcera purgat, explet cum vua passa & axungia, carbunculos purgat, & putrescentia vlcera. quæ vero serpunt, cum pineo cortice vel sulphure. Tabidis cyathi mensura quidam dederunt, & contra veterẽ tussim. Rimas sedis, & pedum, panósq;, & vngues scabros emendat. Vuluæ duritias emollit, & conuersiones odore reuocat, item lethargicos. Strumas etiã cum farina hordeacea & pueri impubis vrina decocta ad supurationẽ perducit. Ad alopecias sicca vtuntur: ad mulierum mammas brutia ex vino feruefacta cum polline farraceo, quàm calidissimis impositis. Liquida anginæ perunguntur, intus & vua. ad aurium dolores, claritatem oculorum, orisq; circumillitiones valet. Suspiriosos, vuluas, tussimq; veterem emendat: excreationes pectoris adiuuat: conuulsiones, opisthotonos, resolutiones neruorum dolorésq; lenit. Canum iumentorumq; scabiem discutit. Zopissa vocatur derafa nauibus maritimis pix, efficacior omni pice & resina traditur, ad omnia quibus illæ profunt: videlicet adiecto salis, callo. Optima à tyrocinio nauium eraditur nauibus cera marino sale macerata. Additur in malagmata ad discutiendas collectiones. Pissasphaltos traditur mista bitumini pice, naturaliter in Apolloniatarum agro. Quidam autem ipsi miscent, præcipuum ad scabiem pecorum remedium, aut si foetus mammas læserit. Naturale optimum ex eo, quod cum feruet, innatat. Palimpissa nihil est aliud quàm cocta bis resina. Nam prima decoctione pix fit, secunda bis pix, hoc est palimpissa. Piceis Dioscoridi summæ species duæ, sicca & liquida. hanc pinus & picea largitur ex assulis arboris suæ pinguis. Melior intelligitur quo nitidior, læuior, purior. Aduersatur venenis, quæ quis in cibo potioneve sumpserit. Phthificis, purulenta expuentibus, tussi, suspirio, excreationibus pectoris difficilibus datur cyathi mēsurā in linctū cum melle. Tonsillarum & vuae inflammationes anginæq; cōmodè perunguntur. purulentis auribus infunditur cum rosaceo. morsibus serpentium cum sale trito illinitur. cum cera pari portione scabros vngues emendat. Vuluæ tubercula & duritias sedis discutit. strumas cum farina hordeacea & pueri impubis vrina rumpit. cohibet vlcera quæ serpunt, cum piceæ cortice, aut sulphure, aut furfuribus. Cæterū cum thuris manna & cerato, subductos vlcerū sinus glutinat. Rimis sedis ac pedum magno cōmodo linitur. vlcera replet & cum melle purgat. quin & cū vua passa & melle putrida & carbunculos emarginat. medicamentis addita exedentibus proficit. E pice oleum, vt eidem placet Dioscoridi, fieri solet quod picinum appellant separata parte aquosa eius: innatat autē vt in lacte, serum. Excipitur vero dum coquitur pix, velleribus puris supra halitum eius expansis, & cum illo permaduerūt, expressis in vas. hoc fit quandiu pix coquitur. quas pix liquida præbet vtilitates. Alopecias capillo replet cum farina hordeacea illitum. Vlcerā iumentorum & scabiem emendat. Liquida pix decocta in spissam coit, quam vocant aliqui palimpissam. eius genera duo, viscosum & aridum. priori nomē boscas. Optima est pinguis, odorata, subrutilās, resinosa. Excalfacit, mollit, pus mouet, tubercula panósq; discutit, vlcera replet. In vulnerarias medicinas vtiliter additur zopissa quam aliqui apochyma vocare maluerūt, derafa nauibus resina est cum cera, discutiendis collectionibus efficax, videlicet marino sale macerata. quidam resinam è picea intelligūt. Resina liquida è pinu & picea gignitur, vtiq; non omni loco, sed in Gallia & Tyrrhenia. pridē Colophone inuehebatur, vnde

ei nomen Colophonæ. Importatur & è Gallia subalpina patrio laricis nomine, singularis remedij aduersus veterē tussim in eclegmate tradita, & per se. Differentia earū in colore habetur, alijs candido, alijs oleagino, quibusdam melleo, qualis larignæ. Raditur & è cupresso ad eadem utilis liquida. siccas partim è strobilo & abiete, partim è pinu & picea colligunt. In sicco genere quærūt vt sit odoratissima atq; perlucida. Displicet rufa dilutāq; placet similis ceræ nec cōtumax frāgi. Antecedit alias bonitate quam piceæ & abietes reddūt, quoniā odorata sit, redolensq; thus. Resinā excellentē & Ebusus mittit, insula ea est secundum Hispaniā obiacēs. E cupresso, pinu, strobilo inferiores multo fundūtur, nec opera vt illæ respondēt. Cæterū ad eosdē vsus cū has tum illas cōuertimus. Lentiscina terebinthinæ vtilitates representat sané. Ex omnibus resinis principatus terebinthinæ datur, post eā lentiscinæ, tum ei quæ de picea raditur & abiete. vltimū locum pinea strobilināq; possidet. Natura in medēdo excalfacere, mollire, purgare, discutere. In tussi & tabe delingitur & per se & melle accepto, item ad pectoris vitia. Vrinā exigit, cruda cōcoquit, ventrē emollit, palpebrarū pilos incōmodos replicat. Lepis illinitur cū nitro, ærugine, atramēto sutorio. vtilissima & auribus saniosis cū oleo atq; melle, itē in pruritu genitaliū. miscetur emplastro malagmati acopo. Laterū dolores finit illita aut imposita. Sic in vniuersum resinæ cōtrahunt, vulnera purgant, discutiunt collectiones, itē pectoris vitia. Terebinthina priuatim membrorū doloribus, conuulsis illinitur in sole, totisq; corporibus, mangonum maxime cura ad gracilitatē emendandā, spatijs ita laxantiū cutē per singula mēbra capaciōraq; ciborū facienda corpora. Proximū locū obtinet è lentisco, inest ei vis astringendi, mouet ante cæteras vrinā. Reliquæ ventrē emolliūt, cruda cōcoquūt, tussim veterē sedant, vuluæ onera extrahūt etiā suffitæ. priuatim aduersantur venenis ixiæ. Panos & similia tubercula cum seuo taurino & melle sanāt. Palpebras lentiscina cōmodissimè replicat, fractis quoq; vtilissima & auribus purulentis, item pruriētibus genitalibus. Pinea capitis doloribus optimè medetur.

¶ *Pyrus.*

Cap. CXIII.

Pyrus auctu facillima, simplici cōsurgit caudice, pluribus ramis brachiato, rutila crispāq; trūci materie, orbiculatis folijs, floribus foliatis, turbinata fructus figura, seminibus tunica cōtētis. Cacumine & lateribus germinat & ex anniculis fructificat furculis. In plana descēdit, in quibus letior prouenit. Vita breuior pyro q̄ pyraastro, quæ pyrū fieri prorsus recusat: ex pyro tamē vitiata nascitur pyraaster. Pyrus sata semine degenerat, fructus antequam maturitatē sentiant, facilè perdit. tentantur & vermiculatione pyra, eorū humor est aquosus. Seri pyros præcipiūt paulo plus nouē pedibus distātes. Sterili pyro quernum palum adigunt foramini, terrāq; occulunt, vt hoc velut inita fœcundetur. Circinata pyro folia: incremēto velox celeriter adolescit, vt quæ cito occidat. Perdit facillimè ante maturitatem fructum suum pyrus, etiam si non pluat, sed fiat austrinum cælum atq; nubilum. Amittit florē & primos fructus, si quum defloruerit, tales dies fuerint: si blandiantur etiam austri cum defatiscit in florem: si sequantur protinus imbres, in totum poma depereunt. Adeò si nubilus fiat austrinūsq; flatus amittat fœtus. Biferæ in pyris etiam præcoces. Pyra non eodem tempore feri iubent, oblonga & rotunda ab occasu Vergiliarum ad brumam,

reliqua genera media hyeme ab occasu Sagittę, Subsolanum aut Septentrionem spectantia, sed brumã quindecim ne minus diebus antecedat. Quę vt sit ferax, cū adoleuerit altè ablaqueada est, iuxta radicē trūcus findatur, fissurę cuneus tēda pineę adigatur, cinis supra terrã iniiciatur. Plantę pyrorū mēse Februario locis frigidis rectè ponuntur: calidis tepidīsq; Nouēbri pyra sunt cōserēda, vt solo iuuētur irriguo. ita plurimū florē proferent & pomi turgētis acquirant magnitudinē. Nasci læto solo diligūt, in quo & validas arbores fructūsq; plurimos consequemur. Lapidosi generis vitiū exuere creduntur, si terris mollibus conserantur. Si pyrorū semē aspergatur, nasci quidē necesse est, originē suam refouente natura, cuius æternitati nulla tarditas potest adferre fastidiū. Sed homini lōga est expectatio, cum sero admodum veniant, & à generis nobilitate desciscant: melius itaq; radicatę syluestriū plantę, subactis bene scrobibus, seruntur, Nouembri vt cum prehenderit, inserantur. Pyri quoq; plantis suis satē propè minus tardus est euentus. Si tamē quibusdā hoc placet, plantas, bimas trimasve radicas scrobibus deponāt, supra terrã tribus aut quatuor pedibus altas, decisq; earū cumina argilla mista muscus operiat. Tradūt crebris fossionibus ac frequēti humore proficere. vt nulla floris iactura fiat, fossore iuuētur. Multū quoq; prodest si interiecto anno qualelibet adiūgatur lætamē, sed bubulū spissa & grauiā creare poma fertur. Aliqui cinerē miscent, existimātes argutiores pomis contrahi saporē. Si languida est arbor pyri, Græci præcipiunt ablaqueatę radici & terebratę lignēū palum imprimendū, vel perforato trūco ex tēda cuneū infigendum, vel si hoc desit, quernū adigendū. Vermes vt ijdē affirmāt, enati necātur, & nasci quoque prohibentur, radicibus felle taurino frequēter infusis. Item si lapidosa pyrus est vt iubēt Græci, ab extremis radicibus terrã leuas, & omnes fecernis lapillos, quibus diligēter summotis nouam terram cribro cretam in alterius locum suffundis. frequens rigatio calculosę pyro præsentis est remedio. Pyri frigidis & humidis tractibus gaudēt. Seruntur radicatę plantis, viuiradice, auulsis stolonibus. trimę plantulę eo more quo oleę ponuntur. radicatę iuniores bimis scrobibus obrui non debent. Aliqui generosos caudicis stiones, alij lætissimos furculos è cacumine lectos pangunt, quos rectè putāt comprehendere. Inter cæteros Græcos conuenit, pyros irriguo solo, fertili, argente lætari, sed pro diuersa earum natura variam serēdi rationē postulare. quando procerę generis huius arbores, quę suos in matre partus maturāt, aliquāto celerius ad mediū vsq; ver feri volūt, locis ad ortū solis vel Septentrionē spectātibus: verū radicatę plantulę non iuniores bimis deponantur. Porrò longè melius plantas syluestriū pyrorum radicas serimus, subactis bene scrobibus, vt dum cōprehenderit, inserantur. Cæterū si & dulciora & copiosiora pyra velis arborē exhibere, trūco proxime radicē terebrato, lignēū ex fago cuneū figis: si desit, ex quercu. Arbores in floribus morbo non laborabunt, si fæces vini veteris radicibus ablaqueatis affundantur, & quindecim diebus regesto solo rigentur, etiā si vitio nō elanguescat arbor. Instillata vini fæce dulciorem fructū creabit. Vermibus pyra non infestabuntur radicibus in sattu felle bubulo perunctis. Inseritur vt Tarentino placet, punico, cydonio, amygdalo, item terebintho. Sed insita moro rubicunda pyra feret. Inseritur syluestri pyro, item malo, spino vt Virgilius tradit, orno, fraxino, sed furculus anniculus esse debet, & prius quàm figatur omnibus folijs exutus. turbinator pyris si-